HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. *Liber* XV.

De diuinatione artificiosa.

PRÆSAGIA PER GENERA RERVM, CAP. LXXVIII.

PESTILENTIÆ *inditia sunt, pestis in animalibus, quòd illa cũ prona sint ore, magis attrahant impurum terræ halitum, atq; ob id magis ac celerius offendãtur: maximè humida natura, ut oues, inde boues ac sues. Minus his capræ, equi, & multò minus canes. Et hæc cùm in talibus perseuerat, facilè transit ad homines. Dictum est aliâs, quòd ex aduerso multitudo reptiliũ, & ranarum, & serpentum, tum muscarum, indicium est futuræ pestis. Et mox è ueris tempore cùm ignes uagantur in aëre. Et æstas nubilosa ac torrida absq; uentis. Cumq; multum pluit magno succedente calore, putrescit aqua, generatur q; lues. Et locustarum agmina cùm perierint, periculum non leue corruptionis aëris afferunt. Et regiones proximæ laborantes peste, periculum minantur, & maximè cùm orientaliores fuerint. Solet enim pestis ut reliqua, quasi motu cœli diurno, ab oriente in occidẽtem procedere. Et soni in-*

Pestilentiæ futuræ præsagia.

conditi noctu, & uoces quasi hominum mortuorum, & terræmotus, & deliquia luminarium, & inundationes, signa & causæ sunt eius: sicut & annonæ penuria, & bella, & geminorum partus quasi natura supplere nolente, & puerperarum interitus.

Proprij exitij præsagia

Proprij exitij nullum maius præsagium est genij conspectu, aut minantis, uelut Marcus Bruto bis: Sum (inquit) Brute, tuus malus genius, in Philippis me uidebis. Hoc dū ex Asia discederet, uēturus cum Cassio in Philippicos campos, ubi occubuit. Secundò fertur, nocte præcedente diem qua uictus est: sed non satis constat. Aut tristis, ut Iuliano Imperatori, qui dum iuxta Ctesiphontem esset, uigilansq; philosophiæ operam daret, genium uidit suum (quem olim in Gallia lætum uiderat, nescioq; quos uersus prænuntios futuræ mortis Constantij, atq; ob id suæ felicitatis) tristem, occlusoq; cornu amaltheæ cum quo pingi solebat Reipublicæ genius, uel qui illi præfuisset è cubiculo, regioq; palatio excedentem. Ita sequenti die occisus est Imperator. Tribus opus est, ut hæc uideantur: non enim omnibus uidetur genius perituris, sed paucissimis. Oportet igitur uirum ualde præstantem esse primò, ut Brutus, qui Romanæ totius Reipublicæ uice fungebatur, uireisq; contraxerat, ac exercitus habebat: Deinde, ut fuerit egregiè malus: nam Brutus Cæsarem à quo seruatus erat, occidit, ut ingratissimi nomen effugere non potuerit. Omitto quòd multi dicant, Cæsaris etiam illum fuisse filium. Iulianus & ipse ingratissimus Deo, & Constantio, & Vrsulo, quem benefactorem suum occidit. Simili ratione & Dioni tale ostentum uisum est, qui & ipse ingratus aduersus Dionysium eius affinem fuerat. Fuit & Dion fama celebris, & dux exercituum. Tertiò, necessarium est ut dæmonas esse credant, colantq; uelut

lut hi quos diximus. Vnde Casio genius nullus uisus, tãetsi ingratus & ipse in Cæsarẽ, à quo seruatus fuerat, extitisset, & exercitibus reipublicæ præesset, sed addictus Epicuro, cùm dæmonas non esse existimaret, nõ par fuit genium uidere. Sylla quoq; dictator & dæmonas esse existimans, & ingratus erga Marium à quo occîdi potuerat et seruatus, eundem genium uidit, sed per somnium. Constat igitur, illos qui insigni aliqua ingratitudine usi sunt, quiq; magni nominis & alioquin egregij animi fuerint, dæmonibus sacrificãtes, dæmonas fermè omnes uisuros sub mortem: quasi plaudente illo erga quem fuerint ingrati: seu dæmone, cui nihil est iucundius, quippe qui & ipse ingratus fuerit erga autorem suum, seu alia ex ratione.

Cùm sub Valentiniano atque Valente Cæsaribus scopæ in palatio floruissent, exaltationem hominum uilium & sortis infimæ significauerunt. Eadem ratione & quæcunq; uilia, cùm præter naturam in melius uertuntur. Sicut si asinus humano capite nasceretur. Si dumus rosas emitteret. Eiusmodi fuit quod suprà narratum est de asino tribunal ascendente. Exaltationis uilium præsagia. Lib. 14.

Vrbium autem præsagium Hetrusca disciplina sic habebatur. Obseruabatur natus eadem die qua urbs ædificata est, qui ad perfectam perueniret ætatem, qua fortuna usurus esset: & qualis ille inter homines fuerit, talis urbs inter urbes. sic Numa Pompilius decimotertio Calendas Maias ortus, & qua die Roma ædificata est regnauit, atque Roma regina urbium facta est. Quo uerò die ille excedit è uita, qui nascitur è ciuibus & diutiùs uiuit, secundum seculum explet. Quo moriente, rursus natus ea die qua ille moritur, ac ad perfectam perueniens ætatem, tertium perficit seculum urbis: atq; ita ad duodecimũ. Vt sic ulla urbs Vrbium fortuna qualis.

uix ad mille annos peruenturа sit. Illud uerò quod primò dicitur, maxima ex parte uerum existimo, & à superstitione alienum, quòd quæ nata sunt simul, similem fortunam consequi debeant: reliqua superstitione non carent. Rectius, inquam, si pro duodecim uulturibus, M CC annos Romæ dederimus, capta à Getis anno conditæ urbis MCLXIIII. Alarico rege illorum, Arcadio uerò socorde uiro imperante. Quòd si quis etiam duodecim secula pro spatio uitæ Numæ perfecto, quod fuit octoginta fermè annorum, non errabit. Vnum satis constat, Varronem hũc terminum Vrbi ex uatis responso assignasse.

Victoriæ præsagia. Victoriæ uerò prodigia ex quatuor rebus sumuntur. Cœlo, uelut cùm signum aliquod firmum in cœlo conspicitur uni parti proprium: ut crux pro Christianis: Luna pro his qui Mahumeto addicti sunt. Et ex his quæ à cœlo cadunt, uelut fulminibus atq; ignibus: ignes decidentes, cladem: si hastæ ardere uideantur, uictoriam significant. Verùm à Duce obseruanda sunt somnia, si integer uir sit: qualia erunt, talem docebunt exitum: si improbus, uideat expressa, uelut uictoriam aut fortunam alacriter excitantem ad pugnam: nam Pompei somnium lætum Pharsalica clade, non solùm falsum, sed exitiale fuit. Ab animalibus uerò certius ac frequentius: corui & uultures qua parte respiciunt, cladem prædicunt, quòd hæc animalia cadaueribus uescantur. Deteriores apes uexillis insidentes aut ducis tentorio, nã hoc animal absq; uindicta, cùm mel fecerit, aluearibus solet excludi, & fumo atq; igne pelli. Dux etiam quidam Heluetius nouem uictoriis clarus, decimam præsagiuit aduentu canũ ex hostium castris in propria, nam deserunt infaustum omen. Equi quoq; alacres & hinnientes uictoriam, tristes & lugentes cladem prædicunt. Quædam etiam

tiam uictoribus solent accidere, quæ clarè illos admonent uincendos obscurius.

Excidij ciuitatum signa sunt, armatæ acies in cœlo uisæ: apparuerũt tempore Machabeorum bello funestissimo: inde sub excidio Vespasiano ad id bellũ destinato. In Germania quoq; uisas ferunt, sed non continuis diebus. Excidij urbium.

Ante Mexicum excidium, in quo pulcherrima urbs cum habitatoribus deleta fermè est, hæc eadem apparuisse referunt. Cumq; præliari uiderentur, obiectum est Moteczumæ eorum regi à regulis Tezcuco & Tlacopan uestes & arma induisse similia his quæ in cœlo uisa forent: nam Fernãdus Cortes uestem & gladium Hispanicũ illi inter reliqua munera miserat. Vixq; eos placare potuit, mentitus esse arma maiorum suorũm. Vtq; fidem rei faceret, obtulisse ut educerent gladium: quod cùm illi nequiuissent, acquieuisse. Eò factum est etiã ut publica uoce ab his hominibus regnum euertendum prædicarent. Viderant & ex orientis parte, ubi condita fuit colonia Hispanorum ueram crucem, flammas igneas ascendentes, & hominem qui capite cœlum attingere uidebatur, quod non parum eos perterruit. A mari quoq; pluribus diebus exorientem lucem duabus horis ante diem: cometes is erat: cumq; cœli mediũ obtinuisset, subitò euanescebat. Captiuus de more dæmonibus sacrificandus, cùm fleret ubertim, Deumq; cœli inuocaret, astitit ei quidã, qui hortatus est eum, ne adeò mortem formidaret, Deum cœli misertũ eius esse: annunciaret sacerdotibus, breui desiturum hoc genus sacrificij: uenire iam eos qui terram essent mundaturi. Sacrificarunt illum eo loco ubi nunc damnati suspenduntur, coq; anno excidium urbis initium accepit: nam tertio post capta est urbs. Notata fuêre diligenter uerba hæc. Cumq; Mexicani angelos pictos uiderẽt

more nostro, dixerunt talem fuisse qui à damnato uisus fuisset. Tertio anno ante excidium inundauit mare terras illas, effusis passim maximis piscibus, non sine omnium admiratione.

Excidij gentis.

Nullam gentem funditùs adeò excisam legisse me memini, ut Pictos populos in Anglia: quos ad nominis usq; interitũ concidisse constat: itaq; nec immeritò maxima prodigia hanc calamitatẽ præcesserẽ: cometes duo autumno, unus solem antecedens, uere sequenti alter solem sequebatur. Acies igneæ cœlo concurrere, ac subitò altera profligata euanescebant. Lituus Episcopi, eo Camelodum (ea erat Pictorum regia) sacra peragente, adeò arsit, ut nulla humana ope ignis extingui potuerit. Sereno, medioq; die tantus armorum, equorumq; ac pugnantium strepitus in agris inter Pictos & Scotos, à quib: Picti deleti sunt, exauditus est, ut plurimos agricolas utriusq; gentis exterruerit.

Pestis in pecudibus & iumentis.

Vlmi ac persici folia præter tempus decidentia, pestẽ in omni iumentorum & pecuino genere prædicunt: nam corruptionẽ cibi significãt: hæ aũt arbores, celerius ac facilius frondẽ amittunt. Eo enim peruenisse uitium in plãtis conijcimus, at minore quàm ut folia decidere cogantur, pecudes primùm, inde iumenta pereũt. Forsan & folia ob aëris corruptionem decidunt: ergo animalia cũm prona sint capite, facilè iniuriam à terra exhalantem sentient.

Negociorũ præsagium.

In negocijs tum bellis gerendis, infausta semper fuêre initijs impedimenta, & signorum iactura. Cũm dux Albæ aduersus Gallos proficisceretur, in ipso primo exitu, tubicini tuba excidit in terram. Signifer puer cum equo cecidit & uulnus in capite accepit. Prædixi ego irritam futuram profectionem & ingloriam, propter tubæ casum: & exercitus principem non tamen supremum ducem periturum: legiones

giones tamen seruandas. nã signum illud ad principem pertinebat, non ad pedites. Et uulnus signiferi mortem ducis, non tamen supremi: oportuisset enim uel terræmotum accidere, uel fulgor è cœlo demitti. Atq; hæc omnia sic contigerunt: nam frustrà oppugnatũ oppidum Sanctija, amissum Vlpianum, occisus præfectus machinarum sine clade & cæde alia. Cuius prædictionis testis est legatus Venetorum Iohannes Formentus, insignis uir, qui hoc mihi in memoriam reuocauit, cùm per negocia grauiora non recordarer. Ita ergo non solùm genus rei, sed & tempus, & quãtitatem, & reliqua perdiscere oportet. Atq; id licet, si singula prout euenniunt, animaduertas.

CHIROMANTIÆ RATIO ET PRÆDICTIONES. CAP. LXXIX.

Nomina partium manus.

MANVS est instrumentum corporis, sicut lingua animi, soli homini membra communia: cùm in alijs animalibus solùm nomen commune sit. Tres sunt illius partes: Carpus, quem uocãt rascetam supra manum spatium iuncturæ interius: Vola, pars interior manus digitis circumdata. Et digiti ipsi. Digitorum supremus duas tantùm iuncturas habet, quiq; alijs solus quasi contraponitur pollex dicitur, quasi quòd uirib. polleat. Hunc sequitur index ab indicando. Inde medius, quem infamem uocant aliqui: pòst annularis: ultimus, minimus seu auricularis. Spatium inter pollicem, indicemq; Thenar. Quòd ei opponitur sub imo digito, quo pcutere solemus, Hypothenar. Quòd sub imo pollicis in modum monticuli assurgit, sthor.

thos. Suprema digitorum pars interior, acinus seu uertex. Articuli inferiores digitorum, procondyli, medij, condyli: supremi, metacondyli appellantur. Vt etiam Ruffus Ephesius docet. Pollex & stethos Marti tribuitur. Ibi uiolentia, audacia, robur, ignis, cruces q̃ ostenduntur. Immoderata etiam Veneris uoluptas atq̃ uetita ac infamis. Index Ioui sacerdotia, & honores, ac magistratus. Medius & qui in imo monticulus assurgit, seu uallis (hoc enim ubiq̃ intelligi uolo) Saturno. Ibi carceres, tristitia, cruciatus, quartanæ, uenena, insidiæ, metus, luctus, profundæ cogitationes, occultæ scientiæ, ædificandi studium, laboresq̃ & paupertas declarantur. Annularis Soli, honores maiores, existimatio, amicitia regum, potentia. Minimus Veneri, filij, uxores, uoluptates, & felicitas. Triangulus in manus medio, Mercurij est: ibi eruditio, ingenium, læsio linguæ, furta, & reliqua naturæ illius plurima. Hypothenar Lunæ, defluuia piituitæ, suffocationes & submersiones in aquis, naufragia, & talia.

Partes manus cui planetæ subiaceant,

Quæ sub stetho est linea, uitæ cordis, & Solis est. Quæ à thenar extenditur in manum, cerebri, ac Lunæ. Quæ à carpo ad hypothenar porrigitur, hepatica, atq̃ Iouis. Omittere decet nomina, quæ ad rerum scientiam nihil conducunt. Hæc igitur non in omnibus, ut duæ præcedentes cum ea quæ sequitur, est conspicua: uerũ in aliquibus latet. Quæ ab hypothenar ad thenar ascendere uelle uidetur. Veneris, & membrorum generationis, & renum linea est. Est præterea linea in pluribus quæ à carpo per uolam mediam extenditur, Saturnia uocata: & qui habent, laboriosissimi sunt, & difficultatibus pleni. Hanc uitalis sororem quidam appellant. Alia exoritur inter minimum & annularem, exporrigitur q̃ usq̃ quò ad spatium inter indicem & medium

Linearum numero nomina, natura.

peruenias:

perueniat:uocant hanc Veneris cingulum:quòd qui habēt, nephariæ & immodicæ libidini sunt dediti. Sororem hanc uenereæ quā mensalem multi nominare solent,dicūt. Quæ uerò à carpo ad auricularem extenditur,hepaticæ sororem esse uolunt, est autem magnæ felicitatis argumentum, uocatur lactea uia. Super uitæ lineam alia persæpe in stetho inueniri solet Martia prorsus, quam uocamus sororem uitalis in monte. Inuenitur & adiacens cerebri lineæ in uola manus, uel sub radicibus digitorum, quæ lunaticos ostendit.Est præter has linea in radice annularis digiti, uocata solaris. Alio inter mensalem & auricularem, quæ uenerea est. Vt cùm quatuor sint principales, decem tum sint lineæ famosæ atque potentes:ea prætermissa quam diximus esse sub auriculari.In omnibus,quatuor spectari debent: quantitas,qualitas,adiacentia,& situs. Quantitas longitudinē, latitudinem & profunditatem continet.Qualitas figuram, ramos,colorem. Situs proprius uel alienus,ascendens,uel descendens. Adiacentia, puncta,lineæ, tubercula, signa. Sunt præter hæc duo spatia, triangulus, de quo locuti sumus,quem linea cordis,cerebri, & iecoris continent,Mercurio dicatus.Et mensa, uenerea & cerebri linea circūscripta, quadrangularis oblongaq́ue, naturæ Veneris Lunaq́ue. His enim terminis definitur.Significat enim itinera ob Lunam,liberalitatem ob Venerem. Est & alius modus demonstrandi quemq́ue locum cui planetæ subiaceat.Nam in geniturisut quisque planeta potentior est,eò locus magis conspicuus. Et ut infelix est erratica, ita & locus sibi subiacens. Vnde qui Saturnum habent malè affectum,ac loca principalia opprimentem,his medius digitus Saturniaq́ue linea male quoque affecta est:loci autem malè afficiuntur, si inæquales,laxi,pallidi,uerrucis occupati, prauisque signis, capilla-

ribus lineis, & præter propriam formam. Calor frigusue immoderatum, callus præter rationem: nam in artificibus nihil absurdum significat. Lineæ igitur communes sunt decem, uel si addatur quæ sub auriculari digito est, undecim. Septem tamen tantùm naturales: uitalis, cerebri, iecoris, genitalis, Saturnia, lactea uia, & solaris. Martia autem & Veneris cingulus, & soror cerebralis, immoderantiam affectuum perturbationesq animi significant.

Est autem tota consideratio in iudicijs diuisa, in tres partes. In naturalium locorum constitutionem naturalem, aut præter naturam. In linearum non naturalium significatis Et in figuris, quæ proprietate quædam maxima significant. Oportet autem in singulis animaduertere quod præsens est, quòd aduenit, quodq delitescit. Naturalia quidem bonum, si naturaliter se habuerint: malũ, si contrà. Præsentia diuturnos & præsentes effectus. Quæ adueniunt, futuros: quæ delitescunt, præteritos. Considerabis & quæ conueniunt, aut quæ dissident. In omnibus utranq manum inspicies: sed extra plerunq est efficacior: sub lumine etiam claro, lotisq manibus inspectio fiat.

Morituro-rũ indicia. Morituri de proximo lineas habent principales pallidas & quasi delitescentes, colorem etiam inæqualem, & nigrũ, intersectiones etiã illarum in locis maleficarum: signa quoque quædam præter naturam manifesta & efficacia.

Lineæ & signa in nodis quid significent. Lineæ in nodo pollicis manifestæ, pericula publicæ mortis prænuntiant: maximè si iungantur circumcirca, uel intus: in pauperibus, laqueum: in diuitibus, capitis detruncationem, cum laceratione corporis: extrà uerò, solam capitis amputationem. In metacondylo Martis, supplicia, & uitia, & morbos, suspensionem, capitis amputationem, ignẽ, adulterium, elephantiasim. In condylo, submersionem & carceres.

carceres. Cùm uerò inter articulos in iunctura fuerint. Manifestius ut à natura remotiora signa fuerint, uelut o=in hoc signo, quòd per longitudinem ambit lineas iuncturæ extrorsum. suspendium portenditur. Metacondyli aliorum digitorum, si lineæ in his ordinatæ fuerint, significant magnam uim planetæ dominantis digito illo. In annulari honores, in auriculari ingenium, mollem autem generaliter naturam & hominem qui pluribus delectetur studijs. In condylis morbos malè disposita: benè autem, honores: ut malè positæ in metacondylis, submersiones. In medij digiti condylo uenena, & ueneficia manifesta fiunt: lineæ secãtes iuncturas ex articulo in articulum si rectæ fuerint atq; profundæ, magnum in genere planetæ bonum denuntiant. In auriculari, occultarum scientiarum cognitionem, acutum ingenium atq; mirabile. In indice, magnam in rebus gerendis prudentiã atq; scientiam. In procondylis, lineæ felices significant studia rerum, & res externas. Malè positæ, uitia & euentus externos, ut fures in auriculari & uulnera: sic benè positæ filios, filiasq;. Rectæ masculinum genus, quòd perfectius est: obliquæ fœmininum, quod infirmiũs.

Benè disposita signa plerunq; sunt, quæ æqualitatẽ quandam seruant, ut stellæ, cruces, parallelæ, trianguli, quadranguli, scuta. In omnibus cõsideretur locus, & quod decorem seruent, ut ex lineis coloratis, continuis, & benè profundis, rectis, & nõ impeditis sint constituta. Mala signa offendũt, sed non destruunt, nisi cùm malè & contra naturam affecta fuerint. Sunt etiam in manu quas uocant positiones, sursum uersus digitos, deorsum ad carpum. Dextrum ad thenar, sinistrũ Hypothenar. Ante, in uola: retro in dorso manus: ubi uis modica lineis præterquã in metacondylo pollicis. Ibi Φ signum, suffocationẽ laqueo, uel aqua significat. Bona signa.

Sunt


Acinus
Metacondylus.
Condylus
Procondylus.
Cingulus
Solaris.
Acinus
Metacondylus.
Condylus
Procondylus.
Acinus
Metacondylus.
Condylus
Procondylus
Acinus
Metacondylus.
Condylus
Procondylus.
Acinus
Metacondylus.
Condylus
Venereus
Mensa.
Cerebri
Soror
Trianguli
Vita
Hypothenar.
Lecoma
Sagittarius
Vitæ linea
Soror vitalis seu Martia.
Stethos
Thenar
Manus.
linea
cerebralis
Carpus.
INDEX
POLLEX
Sunt

Sunt in unguibus signa alba, nigra, alteriusq; coloris. Hæc cũm abundant, uarias & inanes spes, aut metus significant. In radice unguium futura, in medio præsentia, in summo quæ iam euanescunt. Alba bonas spes, nigra metus & detrimẽta, insidiasq;: rubra, rariora sunt, namq; & iniuriam significant. Euentum sortiuntur iuxta ætatem & potentiam hominis, & efficaciam illius. Si quasi stella sit & magna & euidens, magnum est quod paratur aut expectatur. Puncta autem profunda aliquid decernunt: in pollice, honores & itinera: in indice lucrum: in medio studium cum labore: in annulari inuentionem: in auriculari contemplationem & literarum studia. Sunt & amores, & uoluptates. Vbi non adsit spes, effectus expectare oportet. Inest & lineis quoddam proprium, quòd trinam dimensionẽ uocant. Cũm quasi æqualiter in tres partes linea diuiditur. Hoc enim robur uirtutis formantis indicat. Sorores uim principalium adiuuant, maximè uerò Saturnia suam uitalem: unde Saturniam quidam prosperitatis appellarunt. ♄ Hoc signum, quo etiam Saturnum significamus, infelicissimum ubiq; habetur, & χ litera Græca, & craticulæ, & faces, & omnia signa anormala, & circuli præsertim diuisi: & signa fracta non continua, impeditaq; parum boni pollicentur.

Vnguiũ maculæ quid significent.

Signa mala

Oriuntur & lineæ nouæ, & signa noua, nouos successus significantia. Generaliter autem si dum oriuntur, aut alia ratione cognoueris illa ascendere, ad dextramq; tendere, bonum significant: si contrarium, malum: lineæ capillis similes, plerunq; malum portendunt.

Principales lineæ trina cũ dimensione, loco suo, rectæ, non impeditæ, profundæ, cũm ramis sursum & ad dextram tendentibus, coloratæ, cũm sororibus suis, in loco bene disposito, robur membri & propriæ functionis significant: obliquæ,

Linearum qualitas quid significet.

obliquæ, exiles, pallidæ, imbecillitatem.

Lineæ plures fiunt eris, ob cutis tenuitatem: senibus autem, ob illius siccitatem. Quamobrem dicet quispiam, quomodo lineæ negotia significare poterunt, cùm non magis abundent, quàm ea ætate qua nihil agitur? Dicendum est igitur, quòd in pueris futura prædicunt, sed ob id sunt exiles: in senibus uerò præterita, ob id obsoletæ et minimè profundæ, ut literæ caducæ. Igitur lineæ nõ profundæ & quasi euanescentes, præterita significant: subtiles, futura: fractæ autem, quæ tamen cõtinuæ sunt, magnos excessus & casus: quæ uerò intercisæ, impedimenta: non continuæ, sed deficientes, imbecillitatem ac defectum eius uirtutis quæ per lineam significatur. Obliquæ, malam temperiem membri & functionem uitiosam, non debilem ostendunt. Pallor effectum distare significat. Præcipuè ad præterita pertinet. Nudæ & sine sororibus, si latæ & profundæ fuerint, robur, sed solitarium & sine auxilijs, significant. Cuius locus unus omninò est lineis plenus, extuberans, amplusq; ac coloratus, is functiones ac fortunam, & mores habebit ei loco conuenientes: contraria ratione, si locus aliquis quasi incultus sit, & omninò asper.

Vulnerũ & corporis partibus signa.

Thenar ignis pericula nuntiat, ut hypothenar aquæ. Vt enim manus totum corpus, ita & pollex quasi totam manũ refert. Suprema pars superiorem partem, infima inferiorem. Itaq; & lineæ inter indicem, & medium crassæ rubentesq;, uulnera in capite significant, si ad thenarum tendant: in pectore autem, si ad mediũ. Inter medium autem & annularem, si uersus indicem, in humeris: si uersus annularem, iuxta manus. Inter annularem & auricularem ad dextram tendentes ramices, & uulnera renum, & coxarum: si ad sinistram, in suris & iuxta pedes.

Princi-

Principales deficientes præter iecorariam, aut coëuntes præter rationem, ut uenerea cum cerebri linea, aut ualde loco motæ, magnos casus & repentinas etiam mortes nuntiant. Saturnia uerò, si ad radicem medij digiti peruenat, magnas ærumnas & in carceribus mortem præsagit.

Consentientia quoq; obseruabis, furtum & suspendiũ. Temeritatem & uiolentam mortem. Intemperatum & morbosum, lusorem, gulosum & meretricibus deditum ac pauperem, latronem, aut homicidam & capite plectendũ. Hæreticum aut adulterinæ monetæ fabricatorem, aut pediconem, & cremandum. Segnem & contemptum, loquacem & odiosum multis. Iracundum & præcipitem: & si habuerit signa mortis ex ueneno, & febre acuta, morietur ex peste. Et si ex morbo intestinorum, & sanguinis profluuio ex dysenteria. Difficile enim est causam absq; effectu inuenire, multo difficilius effectum sine causa.

Cùm uerò (ut dixi) multa superueniãt signa, non est necessarium deficiente signo periculum deesse. Sed & ex incrementi signorum uelocitate, tempus futuræ rei satis exquisitè coniectari licet. Præuenientibus igitur malis ac morte, alia mala & bona quæ significabãtur, præuertuntur. Vt non omninò tutum sit, uel polliceri, uel negare, futurũ esse aliquid. Verũtamen plerumq; contingit, ut & futurorũ, & non futurorum cognitio habeatur. Hæc enim ars ut & reliquæ diuinatoriæ, mediæ sunt inter fortuita ac necessaria.

Digitorũ radices quid significent.

Ex signis autem bonis est litera B. Sed C & D sunt anci pites, quãdoq; optimæ, quãdoq; aũt pessimæ. Mõtes in radice digitorum plani, infelices nuntiant. Iidẽ rotundi pulchri absq; fossicula fortunatos, sed qui multa de se pollicẽtur & tumidos. Si utrũq; adsit & bene posita sint, felices, prudẽtes atq; hũanos facit. Valles ingeniũ, mõtes fortunã significãt.

Quædam

Propria q̃dam signa.

Quædam etiam sunt propria signa, uelut o plerisq; in locis detrimenta oculi ostẽdit: linea cerebri bifida claudos. Vitalis iuxta carpũ lata, & auricularis non attingens iuncturam supremam: annularis, spurios fermè semper declarat. Iecoraria discontinua & malè constituta, & Saturnia obliqua in mensa manus ac bifida, uel duæ lineæ ex concauo manus ascendentes ad mensam obliquæ, morbum Gallicum nuntiant. Linearum principalium non naturalium, cingulus Veneris cùm transeat per Saturni spatium pestimus est circa mores. Non enim solùm agere & pati nephanda significat, sed facit mastrubatores, irrumatores, fellatores, cùm bestijs cõcuntes, ingenium quoq; rude, & naturam ab omni disciplina alienam. Est enim mixtio ex Venere malè posita atq; Saturno, sicut uitalis soror in monte pollicis & ipsa Martem cum uitali miscet. Significat autem immoderantiam & feruorem libidinis. Soror cerebralis rarius inuenitur cæteris, adeò ut non mereatur principalis linea dici. Cũm igitur naturalis non sit, si fiat, imbecillitatem significat: quoniam est ac si lignum per longum diuidatur: aut enim inæqualitatem materiæ significat, si tenuis fuerit: aut abundantiam, si crassa. Volunt quidã hanc qualiscunq; sit, hæreditatem significare.

Exoritur à cerebri linea alia quæ ad radicem & imum medij digiti pertingit, quam quidam Saturniam putant, cùm sit linea calamitatum, inopiæ, exilij, carceris, laborũ, persecutionum.

Lineas nõ ex rugis fieri.

Cùm uerò in senecta oriantur lineæ, ut dictum est, dubitatio duplex emergit: prima, quia ex rugis fieri uidentur, non ab astris: & quoniam cùm non præfuerint, nihil potuerunt significare. Sed ueritas est quòd tales lineæ quibus effectus non succedunt, non fiunt, sed antea cùm fuissent, laboribus

ribus delituerant. Rugas autem non esse, consensus cum genituris ostendit. Et (ut dixi) nouarũ linearum, signorumq; ortus, declarat à rugis eas non fieri. Plerunq; tamen cum illis sunt. In pueris etiam, in quibus minùs est rugarum, plus tamen est linearum. Aristoteles quoq; tres lineas longas, dixit signum esse longitudinis uitæ. Non igitur ob rugas solùm fiunt, nisi rugosos uiuaciores esse dicamus. Sed cur non quatuor dixit? Prætermisisse iecorariam uisus est. Quòd ea in loco pingui, & absq; rugis raro sit, ut aliæ, manifesta, continua, atq; profunda. Aristotelis locus explicatur.

Angulus autem, qui ab illa & uitali conficitur iuxta carpum, sinister dicitur, qui paulò minor recto esse debet: Qui à iecoraria & cerebri dexter, qui ad unguem rectus sit, oportet, & è directo spatij interiacentis annularem, & auricularem. Qui uerò à cordis linea & cerebri fit, supremus appellatur. Debetq; esse inter spatium medij, & indicis, uel sub ipso indice: interq; montes indicis, ac pollicis in thenaro. Quicunq; horũ disiunctus fuerit maximè supremus, malos mores, inconstantiam animi, & infidelitatem significat, ad ludumq; propensionem. Sed hîc ex his, quæ ab Euclide sunt demonstrata, acutissimus esse debet: si latior sit, obtusius, tardiusq; ingenium significat: si ascẽderit ad montem Iouis, aut è directo medij digiti fiat, imbecillitatẽ ingenij, & cerebrum debile, & humilem animum, abiectumq; decernit. Alij anguli obtusi, prodigalitatem, in quibus non oportet causis declarãt, atq; auaritiam, qui iusto sunt acutiores, similiter, & inconstantiam, & tarditatem, ut acutiores præcipitis consilij hominem & uafrum, ut latiores rursus stuporem. Sinister in rebus gerendis, supremus in studijs. Trianguli significata.

Non ignoro Bartholomeum Cochlitem Bononiensem

patritium, Tricassum Cæsariensem Mantuanum, Indaginem, Coruum, Albertum, Conciliatorem, atque alios chiromanticos, tribuisse pollicem Veneri, minimum Mercurio, triangulum Marti: sed Antiochus Cæsenates rectiùs sensit, quoniam cùm Ptolemæi principijs astronomicis consentit. Neque enim Venus ullo modo cum morte publica consentire potest, neque multò minùs cum ea, quæ ab igne fit. At Mars non solùm concubitus illicitos, sed etiam maximè significare solet. Ita Venus largitrix est ingenij, filiorum, uxorum: non potest Mercurius uxorum, & filiorum perpetuus autor esse. Mercurius in trigono, ingenium significat. Idem malè dispositus fures facit, & suspendia decernit. Causa huius erroris fuit autoritas maiorum, cùm tamen libri illis falsò tribuantur, ut Ptolemæo. Qui uerò secuti sunt, ignari bonarũ literarum fuére, solis experimẽtis innitentes: sed res tamen ipsa luce clarior existit.

Ergo his cognitis, ingenium à trianguli natura, locoq; Veneris, & prædominantis planetæ, loco lunæ & triangulo eum scire non licet: nisi quòd præter locum lunæ quilibet alius ingenij qualitatem significare potest. Atq; in hoc, cerebri lineam diligenter obserua. Valetudinem ex uitali, uenerea & iecoraria coniectaberis. Venerea capillaris, morbos adeò significat, ut Tricassus testetur se, cùm habeat cæteras principales benè dispositas, & hac sola cùm ageret trigesimumquartum annum uigintitres ægritudines habuisse. Idem dixit, sororem lineæ cerebri nunquam uidisse. Oculorum dispositionem uitalis, cerebriq; linea, hypothenarìq; decernunt. Si enim in his locis ⊙ cum puncto, uel sine etiam fuerit, oculi detrimenta significat. Linea cerebri longior, & in sinistra parte fracta, morbum ex destillatione quasi perpetua significat, ut mihi in utraque

que manu: sed in sinistra ea linea rectior est, æqualior, & non discontinua. Saturnia in mensa manus diuisa linea quadam, iter significat pro lineæ magnitudine. Memini duas tales habuisse in sinistra, & unam in dextra magnam, quæ perfecto itinere euanuit, de quo miratus sum, reliquis remanentibus. Est etiam mihi uenerea tendens, & diuidens tuberculum Iouis, quam diuidit uitalis: ad radicem tamen digiti non attingit, sed crucem facit, quæ in puncto sectionis à linea diuiditur, tendente à mensali ad lineam cerebri, quã fermè attingit. Hanc constitutionem nemo ad hanc usq; diem potuit explicare quid significaret, cùm multi dicant minari attonitum morbum, sed iam quatuordecim annis hoc signum in manu mea clarissimum extitit: nec tamen ab hoc genere morbi sum tentatus. Vitalis etiam ramo dextro cum cerebri linea facit hanc figuram admodum longam, XXXXXXXXX, quæ lusores solet significare. χ quoq; litera est in thenaro, significans animi feruorem quendam. In omnibus iuncturis digitorum lineæ sunt. Saturnia profunda cum trina dimensione recta. A mensali linea profunda oriens, medium Saturni montem, qui altior est, pulcherq; diuidit, sed digiti iuncturam non tangit. Enata est mihi nuper cùm compleam annum quinquagesimum secundum ætatis soror uitalis in pollicis monte longissima, sed non continua, uerùm pluribus lineis breuioribus continuata.

Lineas coniunctas initium à coniunctione habere uerisimile est, ni aliud obstiterit. In ortu quoq; lineæ plerunq; sunt rubicundiores, profundiores, & latiores, quia diutius iam ortæ ante partes illæ factæ sunt euidentiores. Vt uerò pallere cœperint, in ortu sunt pallidiores.

Vngues lucidi ingenium declarant. Manus benè com-

posita aptum ad artificia: robustum autem magna atq; iuncturis firmis, ut laxis imbecillem. Manus quæ retrò flectitur, mollem aut rapacem. Procondylos indicis tumens, & pulcher, robur iecoris indicat. Quod est supra thenarum exterius exile, tabificum proculdubiò, aut elephanticum declarat. Cætera non ex arte ulla disci possunt, aut ratione: sed ex longo usu, uelut gemmarum cognitio, & aliorum obseruatione habentur.

Omisimus autem plura, uelut uiam combustam, quæ est linea orta à uitæ linea, & ad spacium inter indicem, & medium delata, quæ periculum ignis decernit, & magnas ærumnas.

Cingulus autem Orionis ab initio uitalis lineæ ad hypothenar extenditur, & significat abundantiam humidi, periculaq; submersionis. In omnibus uitat scire causam, ueluti, quòd spurijs (ut dictum est) auricularis ad supremam annularis iuncturam non attingit, quoniam imbecillem generationem significat. Ob id ergo neque in septimestribus, nec in gemellis, utrinque enim generatio imperfecta: his quidem ob locum & nutrimentum imminutum, illis ob tempus.

Mensura uerò linearum naturalis est: uitalis duodecim continet latitudines unguis minimi digiti in summitate. Cerebri linea, Saturnia, & combusta uia, in tres partes æquas diuiditur. Mensalis, cerebri lineæ æqualis esse debet, & utraque iecorariæ sesquialtera: ipsa autem iecoraria, tertia uitalis pars esse debet. Saturnia, cum uitali oriri, & ad mensalem finiri.

STRI-

STRIGES SEV LAMIÆ, ET FASCINATIONES.

CAP. LXXX.

QVAMVIS non eadem sint fascinatio, lamiæq́, quia tamen lamiarum propria esse creduntur, ad ludum ire & fascinare pueros: ideò de utroq́ in capite isto tractandum uidetur. Apponam autem primò historiam Hectoris Boëthij, quæ talis est. Fascinationis historia mira.

Inter hæc Duffus Rex incidit in languorẽ non tam grauem, quam cunctis, uel eruditis medicis (Scotorum tunc uiuendi modi, corporeaq́ constitutionis, quos nondum peregrinæ inuaserant ægritudines habita ratione) cognitu difficilem. Siquidẽ sine ullo signo bilis, pituitæ, alteriusue peccantis humoris exundantiæ, uel ab humano temperamento lapsus Duffum sensim afflixit. Noctu enim sub perpetua uigilia decumbens, in sudorem sine modo soluebatur: interdiu uix dolore, quo nocte laborauerat leuatus, quieti se dabat. Corpus lenta conficiebatur tabe, effœto simillimum. Hærebat cutis rigida uenas, neruos, & qua forma ac situ ossa essent humana spectantibus ostendens. Suauis ac uniformis spiritũ à corde profectus, quod tactu cordialis uenæ arteriæ deprehendere uitale humidum, nihil temperiæ excessisse demonstrauit. Viuidus illi color, aurium, oculorumq́ uigor integer aderat, temperatusq́ frequentior cibi, potusq́ appetitus. Hæc sanitatis signa in languente, multoq́ dolore afflicto cùm medici admirationi darent, postea quam, quæ suarum erant partium, egissent, nihilq́ inuenissent ad superfluũ, nociuumq́ sudorem sistendum accommodatum, aut quòd somnũ prouocaret: sed Rex in ho-

ras magis, magisq; sudore & perpetua uigilia augeretur, uersi ad patientis consolationem (nam huic soli locus eorum sententia erat relictus) precari benè de salute sperarent, haud sibi deesset: fore externorum medicamimum, medicorumq;, quos ipsi ocius accirent, ope, quòd peregrina, & parùm eis cognita esset ægritudo: aduentante autem uere, solæq; uitæ in animantibus. assertore ad nos redeunte consequeretur sanitatem. Obortus est sub id tempus incerto autore, popularibus susurris rumor, regem ueneficarum mulierum, & arte dæmomaca non naturali morbo tabescentem, per tam longa tempora corpore ac uiribus confici: easdemq; apud Forres, Morauiæ oppidum, magicam, & sortilegam artem in regis perniciem exercere. Horum fama ilicò, ut ad regis aures peruenit, ne auctus rumor, re propalata, fascinatrices, ut supplicium euaderent, in fugam ageret, mittuntur in Morauiam, qui an uera essent, quæ ferebantur, perquirerent. Missi nuncij itineris causam dissimulabant, & ueluti ineundæ pacis gratia inter Duffum regem, & coniuratos Morauos, Forres adiêre: noctuq; in arcem admissi (steterat ea adhuc in regis fide) quamobrem uenerant Doneualdo arcis præfecto, ut imperatum eis erat, exponunt: eiusq; fidem, & auxilium ad negocium conficiendum implorant. Milites, qui in arcis erant præsidio, tenuit nonnihil huiusmodi rei suspicio. Nam ex prostituta quadam (erat huic mater sortilega, & incantatrix) dum blandiusculè eam tractaret amator de regiæ ualetudinis tempore, modo, perpetuitate: quibus sortibus, quibus magicis carminibus uterentur ueneficæ, postea quàm nonnihil audiuerat, sodalibus indicauit, & illi Doneualdo, Doneualdus autem regijs legatis: meretricemq; tempestiuam tanti facinoris nuntiam (erat ea tum

fortè

fortè in arce) Doneualdus ad se accitam quæstionibus, quo ordine cuncta gerebantur, & in quibus ædibus, ubi fateri coëgerat, mittit intempesta nocte milites ad rem omnẽ explorandam. Hi in fortilegarum ædes foribus ui reclusis irrumpentes, ueneficarum unam cæreum simulachrum ad regis Duffi imaginem dæmoniaca arte (ut credere parerat) confectum, ligneo affixum ueru, ante ignem torrentem, alteram carmmibus recitatis, liquorem quendam fundentem sensim supra statuam inuenerunt. Præhensæ itaq; ocyus fascinatrices, coniectæq; in uincula, & tractæ simul cum simulachro in arcem, rogatæ ad quid sub noctem carmina recitante, effigiem regis igni exponerent: responderunt, dum simulachrum igni adhibitũ torreretur, Duffum regem in sudorem solui, carmmibus autem recitatis perpetua teneri uigilia, & ad liquescentem ceram macie confici. Consumptam autem cæram, regis mortem continuò sequuturam: ita se malos dæmones docuisse, ad facinusq; exequendum mercede à Morauorum primoribus conducta. Perciti ita astantes ad anus uerba, effracto simulachro, ut ueneficas scelus ingenti luentes supplicio, flamma consumeret, extemplò curarunt. Ferunt sub tempus, quo hæc in Forressensi arce sunt acta, regem languore leuatũ, & nocte absq; sudore quieuisse. Postridieq; redeuntibus uiribus, quæ erant humanæ facultatis promptè egisse, perinde ac si nulla aduersa ualetudine antea fuisset detentus: uerũm utut res se habuit, Duffus recrescentibus uiribus sanitati breui restitutus.

Simile quippiam referunt fide digni autores de Petro Portucarrero Hispano, qui cũm Augustinam quandam adamasset filiam magæ: eamqhe postmodum dimisisset, quòd mater ob ueneficia publicè uirgis cæsa esset, cœpit

Historia 2. lia.

pit ita animo torqueri, ut perpetuò existimaret hanc, quam amauerat, illius lateri incumbere: atq; ea de causa strenuus alioquin eques, obequitando perpetuò pendebat super latus, tandem ex diuturno tædio in morbum incidit. Aiebat autem si adduceretur amasia se superfuturum: sed illa recusante, contabescente perijt. Quod uerò adijciunt in submersione urbis regiæ Quahutemallan, dum aqua ex specu, ex quo ignis erumpere solitus erat, effluxit, uaccã unicum habentem cornu reliquo funi alligatam, multos perdidisse cum fune à domibus & regia maximè, auxiliatores retraheret, fabulosum existimo, ut in magam referatur. Sed casu contigisse potuit, ut hoc animal perfracto fune, in periculo dum se seruare studet, natando ob rudentis annexi longitudinem, multos euertisse ac suffocasse: dicunt enim sexcentos homines perijsse.

Rationes, quibus persuadetur Iamias dari.

Qui uerò naturæ principijs insistunt, talia ut fabulosa irridentes. Itaq; magna dubitatio de his orta est, alijs censentibus eas esse, alijs negantibus: qui illas esse affirmant, in medium experimenta adducunt, qualia superiùs narrauimus: tum uerò religionis, & arcanorum eius contemptum usq; adeò, ut nec fas esse existimem talia recitare. Adorant autem ludi dominam: eiq;, ut Deo cuipiam libant. Mors quoq; infantium sæpiùs subsecuta, quos attrectauerint: aliorum etiam, quibus solùm, ut illæ referebant, ueneficium obfuit. Atq; hæc in tormentis fatentur, cùm sciant huiusmodi confessionem exitio illis futuram. Nec etiam euentus à confessione dissidet, cùm multi pueruli, boni alioquin habitus, absq; causa manifesta ad mortem usq; contabuerint. Et sicut ex multis experimentis ars ipsa constituitur, ita tot cõsentientibus in unum, eiusdẽ rationis exitijs atq; factis: uidetur historia hæc quasi artis, potiùs quàm malefici

cuius-

cuiusdam euentus esse. Eædem fatentur se choreas ducere, saltare, iocari, epulari, splendidissimis conuiuijs, concumbere: inebriantur, fatigantur, ac talia perpetiuntur iuxta illarum existimationē. Aut igitur somniant, aut imaginantur, aut mentiuntur, aut uera omninò narrant. Mentiri in eculeo, atq; tot & cum uitæ periculo euidenti, absurdū est. Somniare, non minùs: nam qui somniant, diuersa somniant, & non semper: at hæ semper, stata die atq; eadem fermè, atq; paulò differentia inter se. Imaginari eadem, ad stultitiam pertinet: at ipsæ secûs, prudētes sunt, & hæc non in uigilia, sed per somnum uident. Ducunt etiā filias, aliosq; docent: quamobrem uera esse oportet, hæc profana sacra, uoluptatisq; plena. Sunt etiam sæpè cōtestes, ut una aliam detegat, atq; in uisu ac tempore concordant. Fatenturq; diuersas esse congregationes, ducesq; earū & loca, tum ritus, quæ omnia ita benè inter se concordant atq; cohærent, ut historia non ficta res dici possit, præsertim quod personæ, à quibus agitur rudes sunt, & absq; dolo. Perseuerantia etiam multorum annorum in eadem re, imò uix ullus cùm implicitus fuerit huic superstitioni eam deserit, etiam post carceres ac mortis metum. Quo nam pacto igitur res inanis, tam tenaciter, tot diuersi sexus, ætatis, conditionis, naturæ, tamdiuq; inhæreret, si nulla res, nullusq; uerus rei sensus subesset? Puniuntur etiam grauissimè, acerbissimeq; à legibus, igneq; uiuæ concremantur: quod supplicium maius, quàm siccariorum, cùm exigatur in insontes, si hæ insontes sunt, leges & Iurisconsultos sugillat ignorantiæ, & crudelitatis damnat. Sciunt præterea hæ rudes fœminæ (nam maior pars ex hoc sexu est) multarum herbarum uires, curationesq; morborum difficillimorum, & obscurorum, aliaq; non uulgaria norunt: quædam etiam futura prædicūt. Visio etiam

hæc contingit in initio somni, quo tempore negat Aristoteles, experimentumq; id docet uerũ esse, scilicet insomnia non uideri. Non etiam hæc casu contingunt, sed à perito duce artis primùm ducuntur: præcipiturq;, ne crucis signo se muniant. Resipiscunt etiam aliqui pœnarùm timore, qui ceremonias dimittentes, nõ ampliùs eadem uident. Non ergo somnium, aut imago quædam, aut mendacium est: nam mendacium ut abscedat, nullo opere indiget. Quibusdam quoq; uidetur, quòd pueros & animalia excoquant, igne è pectore efflato, inde ducis præcepto ossa colligunt, atque ita rursus reuiuiscunt: quod spectaculum horrendum, & obscœnum admiratione illas delectat. Quæ etiam ab his, qui ueneficio laborare uidentur, per os præter rationem euomuntur, aut in lectis inueniuntur nodi, acus, ossa, claui, capilli, carbones, aliaq; innumera. Dices has esse technas: & ego tecum sentio: nam certum est, his maximam eorum partem, & immitti, & prodire. Recitabo tamen quæ mihi rusticus probus uir, & amicus, ut faciliùs esset illum decipi, quàm decipere, annos ab hinc iam decemocto narrauit, eum morbo incognito laborasse per plures annos, quo tempore excantationibus sæpiùs euomebat uitrum, capillos, clauos: demum sanatum, sed tamen etiam in eam diem, qua mihi hæc referebat, sentire in uentre maximam uitri congeriem, sonumq; non leuem, quasi quis saccum uitri fragmentis plenum concuteret, à quo non parùm uexabatur: tum uerò singulis diebus octodecim, singulis noctibus septima hora, etiam si horarum numerum non teneret, totidem ictus per octodecim annos (ut dixi) quibus iam persanatus erat, in corde maxima cum molestia sentiebat. Sed libet maius quippiam ex Francisco Mirandula uiro philosopho, & ueraci, tum etiam illustri, hîc adijcere.

Rustici historia mira.

Inquit

Inquit enim, agnoui uirum, nomine Benedictum Bernam, ætatis annorum septuaginta quinq; , eundemq; sacerdotem ex his, quos presbyteros uocant, qui annis plusquam quadraginta cum dæmone familiari sub forma fœminæ illi associato concumbebat, in forum deducebat, alloquebatur, adeò ut astantes, qui nihil uidebant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autē illam Hermelinam, quasi mulier esset. Historia mirabilis.

Alium quoq; Pinnetum nomine, qui ad octoginta, & ampliùs annos peruenerat, cum dæmone alio, qui muliebri forma ei uidebatur (uocabatq; eum Florinæ nomine) plus quadraginta annis uenereas uoluptates exercuisse. Sed hic dum scriberet, uiuebat: alter pœnas iam dederat, confessus arcana in sacrificio non protulisse: consecratum autem munus mulierculis ad ueneficia præbuisse: pueris sanguinem exsugisse: atq; alia eiusmodi grauia scelera, tormentorum ui, ne iocum fuisse credas. Atq; hæc, aliaq; plura, si uellem adijcere absurda, uiroq; tam graui profectò indigna sunt ac uana, & ab omni ratione aliena. Primumq; ex suis exemplis confutare illū licet, nam iuuenculæ illæ uel uera uidebantur corpora, cùm non essent, quod non solùm sensibus, & naturali rationi repugnat, sed etiam Seruatoris auctoritati. Si enim non solùm uisus, sed etiam tactus hoc modo decipi potest, Christi dictum nihil concludit aduersus Thomam. Sin autem corpus fictum illis uidebatur, quod atrocius poterat esse tormentū, quàm uelut damnatus à Mezentio cum mortuo concumbere: Horret animus, mens stupet, ubi talia cogitat. Sed uir alioquin non admodum prudens, & nimium quorundam Platonicorū figmentis addictus, mendacia monachorū, uulgi famā, mulierculārū nænias, fabellasq; aureo asino dignas, sanctis philosophiæ sermonibus immiscuit, totamq; artem fœdissimè cōspurcauit: Historia amplia.

nec

nec Peripateticus usquam, nec satis hac in parte Christianus, nec Platonicorum celebrium, è quorum grege se unum fore existimauit, placitis consentiens. Eò igitur factum est, ut delectare potiùs lectores, atq; allicere, quàm seriò tractare quicquam uisus sit. Sed & beatus Augustinus à tam absurdis narrationibus si abstinuisset, licet forsan pauciores habiturus lectores, grauioris tamen uiri opinionem nactus fuisset apud eruditos. Sed ea fuit seculi labes, ut plurimi, uelut nunc de regno, sic grandioribus mendacijs decertarent: quæ ille uir sanctus pro ueris accipiens, ac quasi æmulatione gentilium figmentorum, libris suis inseruit: itaq; illi tantum fidei habeo, quantum se oculis uidisse testatus est: in alijs minimè. Iam enim constat apud unumquenque, maiorem partem talium narrationum fabulosam esse. Sed unde tanta incrementa tam absurdis deliramentis, iam penè dictum est. Auaritia eorum, quibus inquisitio talium, iusq; in eas puniendi permissum est: uanitas ac stultitia delinquentium: nouitatis desiderium, & ignorantia causarum, euentuumq; naturalium. Olim cùm luna deficeret, existimabant præcantatione aliqua eam è cœlo deductam: unde Horatius,

Quæ sidera excantata uoce Thessala
Lunamq; cœlo deripit. Et Virgilius:
Carmina uel possunt cœlo deducere lunam,
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssi,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quæ Propertius sic irridet:

At nos deductæ quibus est fallacia lunæ
Et labor in magicis sacra piare foris,
En agedum domnæ mentem conuertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis:

Tunc

Tunc ego crediderim uobis, & sidera, & amnes
Posse circinis ducere carminibus.

Tam longa series nugarum reprehendi apud philosophum posset, ni melius esset carmina elegantissima, quàm meras fabulas cõscribere. Itaq; si quis ordinem uniuersi respiciat ac contempletur, nihil perperàm contingere intelliget, quando natura ipsa ne uel in uno aberrauerit. Sed in plerisq; latet causa, quòd maior sit sapientia opificis antequã condiderit, quã nostra, qui iam res perfectas uidemus.

Quod uerò genus hoc hominum sit, quas lamias uocamus (uulgus strigas, à strige, ut opinor, aue nocturna atque infausta, quod utrunque his conueniat deductum) scire primùm decet. Sunt hæ mulierculæ mendicæ, miseræ, in ualalibus uictitantes castaneis & agrestibus oleribus, & nisi lactis quippiam adesset, uiuere omninò non possent. Ideò etiam macilentæ, deformes, oculis emissitijs, pallidæ, & subobscuræ, atram bilem ac melancholiam ipso intuitu præferentes. Sunt taciturnæ, amentesq;, ac parûm ab his, quæ dæmonio teneri creduntur, differunt: fixæ in suis opinionibus, atque adeò firmæ, ut si solùm ad illarum uerba respicias, quàm intrepidè, qua constantia ea referunt, quæ neque unquam fuerunt, neque esse possunt, uera illa esse existimes. Vnde nil mirum ab his moribus his, qui philosophiæ expertes sunt, egregiè imponi. Laborare autem eas atræ bilis morbo, tùm uictus ratio, tum aëris qualitas, tum forma atque effigies ipsa uultus, & corporis, tum uerba ipsa stultitiæ, & (ut ita dicere liceat) impossibilitatis plena, ipseq; toruus in dicendo aspectus: tum casus quidam, qui Philippi uicecomitis Mediolani principis ætate contigit, declarant. Res autẽ ita gesta est, ut pater meus retulit. Damnatus erat profanæ huius artis ullicus quidam nomine

Historia rustici damnati artis maleficæ,

Ber-

Bernardus, alioquin uir simplex ac frugi, ob id'q; domino percharus. Sed quia nec minis, nec persuasionibus adduci poterat, ut pœnitere uellet, ad ignis pœnã poscebatur à iudicibus. Dominus cuius pigebat, qui'q; principi gratus erat, obtinuit, ut fideiussione data, quanquam illis reluctantibus, liceret hominem apud se uiginti diebus habere. Cœpit ergo illum alere non ut medicus, sed ut rusticum nobis amicus: quatuor oua recentia manè, totidem uesperi, tum uinum dulce, atq; iucundum administrabat, carnes quoq; & iura pinguia. Postmodum ut uidit hominem ex longo ueterno resipiscere, hortatus est, ut omissis falsis atq; absurdis, periculosisque persuasionibus, ecclesiæ adhærere uellet. Sed paucis opus fuit: resipuit, optimusq; Christianus factus, liberatusq;, usque ad mortem absque querela perseuerauit: quam atrocitas iudicum immeritò, crudeli supplicio affecisset.

Restat nunc, ut obiecta diluamus: & an inter tot miraculorum commenta quicquam ueri subsit, doceamus: nam maximam eorum partem, fabulosam atq; confictam esse, uel ipsi qui hæc cõstantissimè astruunt, negare non audent. Quæ igitur Boëthius refert, cõdendæ historiæ haud iucundæ nõ ignauus author, alliciendi lectores causa conscripsit: ut quos Scythica facta, moresq;, tum regionis descriptio nõ delectarent, fabulæ tædium saltem minuerent. Neq; uitiosum historico, sed ubi historia (ut dixi) per se sterilis sit, licet iocis ac fabulis eam exornare. Quamobrem & iure ab his Titus Liuius abstinuit, & Herodotus iustè damnatur, & Saxo Grammaticus laudatur. Tum uerò maximè quod hæc Boëthius scripta inuenit, & factum ipsum extra historiam est. In ipsa autẽ historia enarranda, utpote moribus gentis, bellis, prælijs, numero cæsorum, aut nominis

Historici mannus.

minibus eorum, qui prælio interfuerunt, quiúe strenuè se gesserunt, familiarum initijs, causis bellorum, temporum ratione, gestis ac serie principum, quibus tanquam membris historia constat, fuit diligentissimus. Quinetiam in his, quæ prope historiam sunt, nihil tam minimum fuit (talia autem sunt regionis & urbium situs, magnitudo, oppida, insulæ, nemora, montes, plantarum noua genera, animalia quadrupeda, aues, serpentes, pisces, soli fœcunditas, uentorum uicissitudines, cœli clementia, stagna, paludes, distantiæ, cæteraq; omnia, quæ aut rara sunt, intelligendæ historiæ accommodata) quod neglexerit, omiserituе, aut secus quàm esset, enarrauerit. In talibus uerò existimauit ornandam historiam, seu quòd uera esse crederet, alioquin sacris philosophiæ haud initiatus. Quæ uerò Berna, & Pinnetus, nosterq; ille rusticus: aut uidere, aut audire sibi persuadebant, partim uera, partim falsa esse reor: nam uerè aliquid uidere, diuqúe in uisione perseuerare, ni aliquid sit, quod uideatur, absurdum est. Vident tamen quædam tum audiunt: atque causam horum in atram bilem (ut dixi) reijcere oportet, quæ partim cibis ac potibus, & aëre, & mœrore, timoreq; paupertatis, partim à cœli constitutionibus, partim ex consuetudine aliorum delirantium contingit. Habebam ego olim amicum, cui contigit, ut in unam harũ uallium, per decemocto menses commorari cogeretur: ubi rediisset ad me, multa de his incredibilia, quamuis philosophiæ haud ignarus, enarrabat: admonui hominem ne amplius talia proferret, ni uellet pro fatuo haberi, & uitæ periculum subire. Immiscuit itaq; se negocijs arduis, cõmutataq; uictus ratione, dum urbẽ incoleret, ad se redijt. Semmis quoq; ac menstrui sanguinis retentio, pluribus causa est huius morbi, aut ortus, aut

incre-

incrementi. In uniuersum tribus maximè hæc deceptio constat, atræ bilis imaginibus, constantia ipsorum, qui hac labe correpti sunt, ac fraude iudicum. Nam olim permissum erat, ut ijdem accusarent, condemnarentq;, ad quos bona damnatorum perueniebant. Vnde, ne hos miseros adeò iniustè damnare uiderentur, multa fabulæ addebant. Cæterũ in illorum examine, confessionibusq; nihil nõ inane, aut falsum aut inconstãs, aut nullius momẽti reperiebatur, præter contemptam religionem. Quædam enim Christum abnegabãt, aliæ sacrificium ipsum inter uestes consuebant: cõspuebant aliæ imagines diuorũ, atq; hæc tũ alia simlia perpetrabant. Sublata primùm in hos miseros ac insanos potestas, fuit à sapientissimo senatu Veneto, cùm animaduerteret eò progressam horum luporum rapacitatem, ut omninò insontes damnarent spe prædæ: neque contemptor diuini cultus quærebatur, sed diuitiarum possessor. Inter hæc emicuit Lutheranorum secta, cumque in hac, quòd urbes perambularet non iam miseri, sed opulenti deprehenderentur, omissa priorum cura, ad hos conuersi sunt. Sic nunc cum illis mitius agitur, ut omnia uel stultitiæ, uel auaritiæ plena esse comperias. Hi ergo, ut ad propositum redeam, quandoque sibi uidere persuadebant atque audire: uerùm, postmodum rem ipsam ex propria leuitate augebant mendacijs, tum uerò mutuis colloquijs (ut dici solet) è culice elephas exoriebatur: nam & plerisque hominibus quandoque aliqua insolita uidentur, audiuntur q; ab his: sed ea contemnentes, sanoq; iudicio abigentes negligunt.

Dominicani.

In puerorum tamen lactantium causa, aut qui adhuc tenelli sint, maximè peccant tractatione, intuitu, osculo. Cũ enim fœdum habeant anhelitum, uitiant persæpè illorum pul-

pulmones, unde tabescunt. De intuitu uerò, non id omninò solùm poëticum est:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Sed naturale, & ipsa quoq; experientia comprobatum. Constat enim esse quasdam angues, quæ solo intuitu homines perdunt: & in speculis maximè metallicis, menstruatæ mulieris uitia in maculis deprehẽduntur, tametsi forsan ad spiritum referri conuenientius posset. Vtcunq; sit, cùm tot modis nocere possint: neq; si nocuerint aliquæ pro fabula omninò habendum, neq; tutum est illis infantes committere.

Constat itaq; has sæpe meritò plecti, quòd sint maleficæ, aut etiam ob impietatem, cæterùm plerunq; stultæ solũ, nec confessio integra ac iudicium uelut de latronibus, ac furibus, reliquisq; sceleratis hominibus, ad mortis pœnam confici posset. Sed omnia plena uanitatibus, mendacijs, repugnantia, inconstantiaq; : nam illud quod dicitur conuenire, & contestes esse absentes, omninò falsum est: nec nisi de die congregationis conueniunt, cùm uulgata sit quæ nã sit. Id uerò argumentum si rectè & diligenter examinetur, ostendit hanc artem esse falsam omninò, & illas non uerè in unum coire: nam una centum, aut etiam plures detegere posset, cùm tot intersint illarum testimonio. Verùm non nisi fama agnitas, aut uisu, detegunt quas non ex ludo (sic enim uisionem illam uocant) sed ex auditu atq; colloquijs agnoscunt. Vtrum uerò uigilantes an dormiẽtes, certum est quod in utroq; tempore. Eadem autem uident atq; audiunt, ob fixam contemplationem, fidemq; illius rei: uelut Rasis enarrat de illo qui se gallum ob stultitiam existimabat, statis horis gallorum more ad canendum surgebat, cùm hoc illi per plures annos contigerit: hæc autem opinio ac uisio multum mutuis earũ inter se colloquijs confirmatur. Neq;

adeò frequenter ad hunc ludum eunt: sed quædam sunt mulieres quæ uix ter in anno sibi accedere uidentur, ita ut cùm contigerit, iuisse se affirment, non ut uolentes eant, quamuis & hoc (ut dixi) persæpe contingat maximè auxilio unguentorum.

Nemo igitur has mulieres hæreticas, dæmonum cultrices, impias, & homicidas, morte non dignas existimabit. Si tamen factum absit, solaq; opinione laborent, stultorum genere sunt: hoc tamen stultitiæ genus etiam periculosum est: ob id, nisi resipiscāt, morte damnari solent. Præter enim hanc superstitionem, inuentæ sunt mulieres quæ pueros occidebant, carnes eorum sale condientes: quorsum nescio: una me spectante pœnas tam inusitatæ sæuitiæ dedit. Cæterùm sanitates nullas, nisi ex herbis diuturna experientia, aut medici consilio cognitis non afferunt: neque mortes, nisi inter cibos datis ueneficijs: quorum plura genera nouêre malæ quædam meretrices, quàm lamiæ. Eò tamen insania earum sæpe procedit, ut morborum ac infortuniorum quæ inimicis contigere, autores se faciant, iactantiæ causa, tametsi fortuitò ea illis contigerint. C. Octauij & Lentuli Spintheris olim exemplo, qui necis Cæsaris insontes & conspirationis ignari, cùm utriusq; ob iactantiam reos se fecissent, grauissimas pœnas luerunt. Cognoui ego medicum, qui quos ignorantia perderet (erat enim imperitissimus) odio perdidisse iactabat, aliquáq; odij indicia subiungebat. Quasi minore flagitio quisquam occidatur, quàm sponte pereat. Quamobrem quorundam qui obierant, & de quibus talia iactabat, necessarij illum in iudicium uocauerunt: sed pecunijs corruptis iudicibus, pœnam effugit. Similiter neque futura has præscire, neq; tale quippiam bonum facere posse credas, sed omnes amentes, fatuæ,

fatuæ, miseræ, improbæ, & inconstantes sunt.

Itaq; cùm hæc tum alia omnia quæ de his proferuntur, uana esse compcriantur, & fabulis quàm ullis alijs rebus longè similiora utilius censeo de origine huius technæ, aut stultitiæ aliqua recensêre. Hæc quidem proculdubio ab Orgijs antiquis, in quibus mulieres bacchabantur palàm, ortum habuerunt. Deinde metu legis talia prohibentis, clàm celebrari cœpêre. Et ubi illud etiam prohibitum est, uel ipsa cogitatione aggere perseuerarunt, adeò inueterati erroris opinio constans est. At nunc etiam manet imago quædam saltationis, & impudentiæ illius. Cæterûm ut etiam à Dulcino alijsq; hæreticis, qui omnia miscere studuerunt, ac uitam Sardanapali instituere, quiq; Orgia excogitarunt, cœptum atque institutum erat captandæ multitudinis gratia, ut omnia miscerentur. Dederunt manus his sceleribus homines improbi, ut eo titulo atque prætextu iuuenculis potirentur, adulteriaq; perpetrarent: inde res longiùs processit, ut uelut fluuij ubi longius processerint, & urbium ætas, & res reliquæ humanæ in lõgè dissimilia initijs suis desinunt, ita & hæc consuetudo, hi ritus, atque flagitium. Adeò uerò constanti animo postquàm initiati fuerint his sacris, illa tuentur, ut neq; ratione uinci, nec suorum miseratione flecti, nec promissis mutari, aut tormentorum ui, uel mortis timore à proposito decedant. Causa huius pertinaciæ est ex humoris (ut aliâs dixi) qualitate, quæ etiam in seipsam reuoluitur: fingunt enim dæmonem illas à supplicio & cruciatu tutas redditurum. Quòd si quis, ut sæpè accidit, obijciat hanc & illam quæ perijt: respondent, non perijsse, quòd dæmon eas seruare nequiuerit, sed illius potius ira, quoniam illius arcana propalauerint: atque ita duplici metu perstant in tormentis firmæ ne fateantur, pri-

tur, primùm supplicij, pòst etiam ipsius dæmonis metu. Mira certè res amare qui tibi non benefecerit, timere quẽ nunquam uideris. Sed obstinatiores sunt quæcũq; sæpe itant ad ludum, quæ omninò addictæ sunt huic flagitio. Bis in hebdomada hoc uitio corripiuntur.

Animaduertendum autem est, quòd uelut in his quæ naturaliter, frequentissimè, & ex ordine eueniunt, quædam monstra contingunt: ut in partubus bicipites: Solis ac Lunæ geminata uisio: tonitru acuta uoce: grando media hyeme: nix æstate: strepitus locis quietis: ita etiam in hominum operationibus eadem contingunt, quæ adeò quibusdam naturalibus rebus cõueniunt tempore & rei qualitate: ut hæc ab illis processisse uideantur: & ob id arti meritò tribui. Veluti infinitos constat aduersum reges atq; priuatos ueneficia construxisse, quæ diu perseuerarunt irrita. Inter tantam autem multitudinem contigit, ut unus ex his quem fascinari cupiebant, naturali causa eodem tempore in morbum ueneficio congruentem inciderit: quòd rescitum, à ueneficio ortum habuisse credebatur: quoniam morbi natura & tempus conueniebant. Ipsi uerò censores, à rerum naturalium scientia alieni: hoc q; relatum in historias, auctumqũe ac exornatum, ut solet, materiam uberem huic stultitiæ præbuit. Non negarim & in se, & contactu, & cibis, alijsq; artibus multa fieri non posse admiratione digna, de quibus fermè plusquàm par erat, tum hic, tum in libris de Subtilitate, dictum est: uerùm horum omnium causa sufficiẽter est explicata, hæc uerò ad dæmonium referuntur.

Veneficiũ maximum. Porrò quod ad maleficia attinet, narrabo quid contigerit Casali urbe Salassiæ Italiæ regionis: Coniurarunt circa annum Domini M. D. XXXVI. uiri ac fœminæ circiter quadra-

quadraginta: inter quos carnifex erat, ut cùm pestis antea sæuijsset, tunc uerò iam mitesceret, unguentum conficerent, quo ungentes portarum uectes, qui eos tractarent inficerentur: pluuerem quoq; conficiebant, quem super uestes clàm spargentes exitium illis afferret. Latuit aliquandiu hæc res, sublatiq; multi: atq; etiam (ut audio) à coniunctis data ueneficis pecunia, hæreditatis causa. Sed cùm cuiusdã nomine Neci fratrem atq; unicum filium sustulissent, uixq; alij quàm domini ipsi domuum, aut filij perirent, simulq; animaduertissent Androginam se in domos insinuantẽ: atq; eos maximè perire, quorum domũ ingrederetur, deprehensa coniuratione, omnes exquisitissimis tormentis necati sunt: fassi etiam decreuisse in pompa celebri diui cuiusdã, subsellijs perunctis, uniuersos ciues occidere: paratasq; ad hunc usum supra uiginti ollas. Tentarunt & idem Genuæ pòst, dederuntq; pœnas. Alios etiam constat Mediolani inunxisse uectes: sed diu torti, cùm nihil confessi essent, nec quisquam obijsset, dimissi sunt. Tantum ergo potest unguentum ueneficum.

MIRACVLA.

CAP. LXXXI.

MIRACVLA tribus causis cõfinguntur, ut difficillimè falsa à ueris seiungantur. Primùm quidem auaritia sacerdotum, ut etiam de his qui Belo sacrificabant, sacra scriptura meminit. Certatim quoque ob ambitionem leges augent. Vt cùm idola colẽtes iactarent se, Iudæi ex aduerso maiora proferebant. Multo uerò magis in Christiana, quòd hæc fides potissimè his innitatur.

tatur. Neq; enim regna habebat, quibus se tueretur: ob id adeò abundarunt eis, ut tanquam seges sub inutilibus herbis, quæ uerissima sunt, lateant. Miracula enim rarò sunt, & ob raritatem effectus, secutus, unde nomen sortita sunt. Quædam ficta ad excusationem, uelut cùm Maximini milites Apollinem dicebant pugnasse pro Aquileiensium muris, quòd ipsi ignauiter depugnarent. Sed nos ueriora quædam certo iudicio deligemus. Augustinus itaq; in his quæ ipse uidit, firmus est testis, ut aliâs retulimus: ubi auritus, non contendo. Is itaque refert, Innocentium aduocatum uicariæ præfecturæ cum ulceribus chironijs in ano laboraret, dissectusq; esset, sinu quodam medicos latente, factum est ut ad necessitatem secundæ sectionis deuentum sit: quã cùm ille magis quàm mortẽ ipsam formidaret, orarunt pridie quàm secaretur pro illo Saturninus episcopus Vzalensis, Gelosus presbyter, diaconiq; Carthaginensis ecclesiæ, inter quos Aurelius, qui postmodum fuit episcopus, prostrati in terram, flenteq;que uberrimè cum Saturnino ipso, qui sanctus uir habebatur. Aderat & ipse Augustinus fortè apud ægrum hospitatus cum fratre Alipio. Factum itaque est ut mane sequenti, dum medici adessent, ut qui inter manus secantium moriturus existimabatur, absq; sectione sanus inuentus est.

Miraculum primum.

Miraculum secundum.

Cùm uerò beatus Ambrosius per somnum uidisset corpora beatorum Prothasij & Geruasij martyrum, illa inuenit, asistente q; populi maxima parte: tunc q; in ciuitate Augustinus ipse aderat, & Imperator Theodosius cæcus illuminatus testimoniũ attulit, non falsum fuisse beati Ambrosij somnium: itaq; tam publico facto, tot testibus, Imperatoris q; præsentia miraculum confirmatum est. Quæ uerò à beato Stephano ætate Augustini fiebant, dũ reliquiæ deferrentur,

Miraculum tertium.

rentur, aut repositæ essent in oppido Synicensi Africæ oræ, non procul ab Hippone, tot & tanta fuêre ac tam præsentia, ut meritò congruerent ei, qui primus uiam post Christũ aperuit, ad uoluntariam mortem, atq; crudele exitium: qui primus post Christum orauit pro interfectoribus, qui primus prædixit excidium gentis, qui primus exemplum Spiritus sancti in eo loquentis, dum sapienter disputat aduersus Iudæos, dum constanter Christum confiteri non erubuit, qui primus gloriam uidit Dei antequàm corporis mortem, qui primus se uidendum qualis futurus esset post mortem exhibuit, qui non minus sanctè uixit quàm fortiter mortuus est pro nomine Christi, in cuius obitu alia uita surrexit Apostoli gentium: qui si quid attinet, coronatus nomine ipso fuit. Quamobrem tot & tanta Deum illius significatione fecisse, nihil mirum ut & ægri sanarentur, & mortui resurgerent, & detenti soluerentur. Vt certè impietas multorum appareat, qui dum iustissimè aulæ pontificis inaudita scelera persequuntur, nos à meritis omnibus, ab omni bono instituto retrahunt, miscentq; facta impijssimorum ac Sardanapali, cùm sanctissimorum uirorum innocentia ac factis generosissimis: quasi Stephanus sit unus ex his, aut nihil referat quod propemodũ fatentur qualis fueris. Non enim Christus dixit, Cùm omnia passi fueritis, dicite, serui inutiles sumus: sed cùm feceritis. Sed iam ad aliud miraculorum genus transeamus. Illud memorantes, tunica huius sancti multos fuisse à mortuis suscitatos. Hoc contigit in lauacro regenerationis, dum Christiani fiebãt, & id Augustini tempore præsentia illius referre par est. Curubitanus dum baptizatur, à paralysi & ponderé genitalium liberatus est: mendicus quidam, à podagra in perpetuum: atq; hæc publica fuêre.

B. Stephanus laus.

Miraculum quartum.

Miraculum quintum.

Quintum genus est, ex pura Dei misericordia, uelut Innocentiæ fœminæ primariæ & religiosissimæ Carthaginiensi, quæ cùm carcinomate laboraret, medicorum spe abiecta, uidit per somnum qui moneret, ut locum sub paschate obseruaret ubi baptizaretur, mulierem quæcunq; illi baptizata primò occurrisset, ut illa in loco ubi affligebatur, signo crucis signaret: quo peracto cõfestim sanata est. Multa addit Augustinus more oratorũ, quæ potius rem minuunt.

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Miraculum sextum.

Sed iam aliò transeamus: narrat Hector Boëthius cũm Saxones & Picti hostes Christiani nominis aduersus Veterum Britannorũ regẽ pugnaturi incederent, armati cõtra inermes, exercitati cõtra rudes, plures contra pauciores pugnaturi, ducerẽtur q; à Germano & Seuero Episcopis, antecedente Germano, & Alleluia exclamante cum sacerdotibus, & reliquo exercitu, tantus inuasit pauor hostes, ut existimantes ruituros in se montes, in fugã uersi incruentã victoriã Britannis concesserint, inultiq; caderent: iam tamen Britanni partim ex hæresi reuocati erant, partim ab idolorum cultu nuper ad Christum transierant. Et hæc quidem, ut dicam, manifestam etiam naturalem rationem habent, adeò ut facilius admitti possint. Beda huius author est.

Miraculum septimum.

Simile est fermè quod accidit dum Hungus Pictorum Rex & religiosus Scotis auxiliaribus contra Athelstanum Anglorum regẽ esset pugnaturus: nam per noctem Hungi exercitus Athelstanq; crucem in cœlo uidebant Beati Andreæ lucidam: hæc instar est χ Græcæ literæ: cũm his formidinem, illis timorem adderet: sed & Hungus per somnum monitus non defuturam crucem, ante uictoriam monuit milites, hortatusq; uictor euasit. Simile quoq; est quod Edgaro Scotorum regi aduersus Donaldum regem ui factã contigit:

tigit: nam per somnum monitus, ut Cuthberti uexillum secum ferret uictoria potiturus, ubi peractis sacris uexillum D. Cuthberti sustulit è cœnobio, Donaldũ sui deseruêre, atque ita absq; seditione & sanguine illum captiuum habuit.

Aliud uerò absimile refert idem: nam cùm Vuilhelmus Leo Scotorũ Rex, Ioannesq; Anglorum, Eboracense concilium celebrarent, allatus coram eis puellus nobilis oculo saniem mittente, lingua impeditus, altera manu arida, pede claudus: cùm frustrà tentata curã à medicis destitutus esset, Vuilhelmus cruce signatum dimisit incolumem. Miraculum octauum.

Dauidi Brusio Scotorum regi impactũ in crure telum, nulla arte extrahi potuit, nisi postquàm ad B. Niniani templum delatus est: tunc enim manifestè uulnus dilatari uisum est, telumq; excidere. Miraculum nonum.

At contrà euenit Henrico Quinto Angliæ regi, qui dũ Beati Fiacrij tẽplũ in Gallia spoliasset, morbo Fiacrij correptus, quo omnia uiscera priùs computruêre, extinctus est. Dũ uerò adhuc uiueret, inexpugnabilemq; morbum à medicis esse intelligeret, quòd quasi diuina ultione procederet, intorrogauit quis nam esset, fuissetúe is Fiacrius: respon sum est, filiũ Scotiæ olim regis: tũ Henricus, quo pacto hæc gens in nostrũ excidium nata uidetur? quæ domi, foris, uiuens, mortua, etiam in diuos relata, exitium nobis parit. Miraculum decimum.

Refert Gaspar Belgicus, Societatis Iesu, cœnobita (ut dicunt) in ciuitate Ormus, cùm pactus esset cum prudẽtissimo uiro, sacerdoteq; primario, quem sæpe loci rex consulebat, Ioque uocãt, ut triginta diebus abstineret, quinquiesq; in die semetipsum pro Christi amore flagellaret: una ex his diebus audiuit uocẽ dicentem, Surge, quid agis? Christianũ te fac, optima enim hæc lex est. Inde confestim uidit cubiculum, quasi pontificiam domum, aut ecclesiam exornatam. Miraculum undecimũ.

Vt si hic uera refert, quamuis de uoce in eremo ubi erat, falli potuisset, de uisione dubium non erat: factusq; est Christianus. Nemo autem spõte ex summo gradu in inferiorem descendit: ut si hic planè non mentitur, aut in scelerum officina hæc non sunt excogitata, de miraculo non sit dubitandum. Quinimò ille subijcit, quotquot fermè Christiani facti sunt nuper, aut uoces audiuêre, aut mira uiderunt, alij Christum, alij Mariam uirginem.

Quærendum est igitur in his omnibus, an miracula sint? Et quæ uera? quæ non? quot sint, modi causaûe, quib. fiant? & à quo fiant? Quòd igitur contingant miracula, nemini dubium esse debet, cùm in singulis legibus aliqua uideantur: tametsi pleraque sint commenta doliq; hominum. Veruntamen, ut credulì est omnia amplecti, ita pertinacis cuncta negare: abrogat impietas hominum fidem ueris, ut nulla sit occasio securitatis. Sed tamen miracula esse haud dubiè confitendum, cùm in naturæ operibus perfectis talia eueniant: monstra enim oriri nemo nisi stupidus, aut qui iuuenior sit, dubitat: infantes bicipites, trioculos, capite aquilino: nec tamen hoc magis mirum est, quàm uidere, audire, mortuum surgere, repenteq; sanari: & si nihil sit quod uideatur, quodúe audiatur. At dices mortuum suscitari, contra naturam est, non naturæ error. uidere quæ non sint, aut audire, error est animæ: quæ perfecta cùm sit, non tam errare potest quàm natura materiæ immersa. Sed ô generose, mortuus non nisi ad nostram existimationem mortuus erit, nec sensus hi perfectæ sunt naturæ, sed uitiosæ. Ob hoc quidam uident, quidam non: quidam audiunt, quidam non. Neque absurdum est, talia aliquando uerè contingere: uarietas enim, quæ in lõgo tempore contingit, est res maxima & incredibilis.

Miracula dari demõstratur.

Fiunt

Fiunt autem miracula sex occasionibus: in initijs legũ, quas Deus constituit: uelut de claudo sanato, qui ad portã templi Speciosam iacebat, à Petro & Ioanne. Cõstat enim, quòd miraculum illud fuit fundamentum fidei nostræ: nã Christi miracula, ad alias causas & hominem referebant: hoc uerò à piscatore, maximũ & euidentissimum fuit: aut propter confirmationem legis & incrementum, ut quartum miraculum in ordine: aut ob pij uiri memoriam celebrandam, ut de tertio exemplo recitauimus: aut ut reliquiæ sanctorum agnoscantur, ut in secũdi miraculi historia dictum est. Et Hector Boëthius de ossibus beati Nicolai inuentis, à monacho per somnium monito talia refert: aut propter innocentiam patientis, ut in quinto miraculo diximus: aut ob rogãtium sanctitatem, uelut in primo exemplo. Neq; expedit ut in ommibus eueniant: non enim esset miraculum, sed naturæ ordo præuerteretur, neq; nunquam: si enim qui non fecit, soluit, Deus author omnium cur efficere non poterit? Miracula sex occasionibus fiũt.

Quæ uerò fiunt, uidentur q; miracula, alia quidem dolo fiunt, ut pleraque: alia quæ fieri possunt, non tamen fieri posse naturaliter uidentur, de quibus dubium non est: alia quæ omninò fieri nequeunt, contra quæ abundè disputatũ est à Peripateticis: alia quæ licet naturaliter fieri non possunt, quodam tamen alio agente supposito fieri posse uidentur: hæc autem ad libros de Aeternitatis arcanis pertinent. A' quibus uerò fiant, denuò lis est: quorundam tamen constans causa est, hæc autem trium sunt generum: aliâ ab abditis naturæ causis, alia à sensuum perturbatione, alia à ui animæ & consilio hominis: de his quidem omnibus apud omnes conuenit, sed non eodem modo: primùm quidem, cùm plura ad hæc genera traducuntur: deinde, cùm hæc à Dei speciali uirtute separantur. Contrà, illi obijciunt

suppo-

suppoſita, ut quæ à Moſe ſcripta ſunt de initijs rerum. Sed ut ſcripſimus, natura noſtra uidetur ardere, cùm Deum uerè amare cœperit. Ergo & hoc ad Aeternitatis arcana referendum eſt.

Miracula cur maximè in fortuitis.

Quærundum eſt autem cur maximè miracula fiant in his qui fortuitò læduntur, ut uulneratis, ſubmerſis, cadentibus, ictibus ſerpentum, morſibus canum rabidorum, adeò ut audeant referre iam paucis ab hinc annis claues quaſdam in laude Pompeij (nunc Laudem ueterē uocant) ſponte caleſcere ſolitas ablato patiente: unde argumentum ſumebatur, rabiei imminentis, ſi incaleſcerent: nunc etiam ſeruantur, ſed clauibus igne calefactis: nam quòd canem morſum ab alio rabido ſic ſeruare uoluiſſent, periſſe uires has admiratione dignas referunt. Itaq; multæ horum cauſæ eſſe poſſunt cur in fortuitis, non ſponte uenientibus morbis, aut iudicio damnatis, aut ſi res ipſa pereat furto, aut naufragio, talia contingant. Prima, quoniā multa primo occurſu nos proſternunt, quæ reaſſumptis uiribus, natura ſola duce reſtituuntur. Deinde, quòd in his paruum diſcrimen, exiguaq; res magnorum errorum, & uarietatis euentuum cauſæ ſunt: quæ omnia in religionem referuntur. Præterea repentino aduentu perculſus animus in his facilè decipitur, nō ita in præmeditatis. Magna etiam hæc cùm ſint, & ad religionem referantur, in eis illa omnem locum occupat, metu Dei. Sunt autem magna, quia repentè euenit, uidentur ira Dei contigiſſe, & ob id etiam auxilium expectare, unde periculi cauſa ortum duxiſſe creditur. Denum fides maior eſt in his ubi nullum ſperatur auxilium aliud, quoniam ſupra naturam non ſolùm humanas uires eſſe creditur, fides autem & corpora muta, & ſuperioribus mentibus animum coniungit, ut uideatur miraculum

uerè

uerè fieri in talibus posse. Natura quoque alioquin integra multa corpora sanat, cùm in sponte ægrotantibus nihil sit prorsus sanum. Videntur quoq; ex astrorum incursibus talia fieri, illis ante uix unquam accidit ut multa non immisceantur, adeò ut nihil tale sine magna mixtione contingat. Demum uidetur pluribus, ut suo loco referetur, genius quidam seu dæmon adiectus, qui ad fortuita impellat, aut ab illis retrahat, uel in ipsis fortuitis auxilietur, aut perdat: quasi tertium nactus principatus genus alienum, & à natura quæ spontaneis dominatur, & à uoluntate quæ nos ultrò quoquouersum uergit atq; impellit, hoc autem genus fortuitorum, cùm nulli horum subijciatur, meritò forsan genijs subijci dixerimus.

Miraculum duodecimum.

Vt uerò aliquid referamus de præsentibus: Franciscus Lopez, alijq; qui historiam Indiæ occidentalis scripsêre, uno consensu affirmant, dæmones, postquàm propagatum est Christi nomen in illis regionibus, responsa nõ dare. Crucem quoq; fixam à Christophoro Columbo, qui primus eas prouincias ingressus est ex Europeis, cùm multi auellere conarentur, nũquam potuisse. Principem quoq; uallis Caonau, cùm in ecclesia, illa tamen contradicente, cùm uxore concumberet, subitò mutum factum esse & extra mentem. Inde pœnitentia ductum inter ministros ecclesiæ ipsius mansisse, incolumitati restitutum. Sed hoc ita fingi potuit ob Hispanorum uexationes, ut sic religionis titulo coleretur. Sed tamen graue uidetur Principi uerrere templi pauimentum, quòd ille faciebat. De dæmonibus res non magna uidetur, cùm hoc detegeretur fraus sacerdotum, ut apud Danielem. Cùm enim non haberent quo possent tegere fallacias, instantibus Hispanis, excusarunt uictos. De cruce maius miraculum est, aut non omninò tantis uiribus conati

sunt

sunt auellere. Sed utcunq; sit, multa talia contingunt in initijs promulgationis legum, nam proculdubio aliqua uirtus uidetur impiorum uindex. Vt nõ iam fabula uideatur quæ Senacherib bello contigit. Refert enim idem Lopez cùm Hispani milites qui omnes erant pedites à quadraginta millibus Indorum premerentur, iuxta Cintlam nouæ Hispaniæ pagum, & partim ob loci inæqualitatem, partim ob arborum copiam, superuenisse Frãciscum Morlam, equitem unum, qui tot tantaq; urgendo, terrendoq; peregit, ut Indi pedem retraherent: ubi retraxerunt, abijsse: confestim Indos multitudine fretos, cœpisse premere Hispanos: cumq; iam in manifesto discrimine positi essent, superuenit ille eques, ac rursus Indos coëgit pedem retrahere: quod cùm tertiò fecisset, abijsset q;, rursus instantibus Indis superuenit Ferdinandus Cortes dux illorum Hispanorum, cum tredecim equitibus: Indosq; iam qui unum non sustinuerant, in fugam compulit, exercitumq; dissipauit. Cùm autem Hispani ad urbem quam occupauerant, redijssent, constabat equitem illum non fuisse Franciscum Morlam, cùm nullus ob uiarum difficultates potuisset præmitti. Viderant & Indi illum captiui, & Rex qui post suorum cladem conciliatus est Hispanis. Equus quoq; rubeus & maculosus & terror tantus ab uno solo equite, cùm aduersus sex machinas igneas magnas, multasq; paruas instarent fortiter, nec cederent: neminem præterea ex Christianis mortuum fuisse in tam diuturno prælio, totq; pugnantibus, cùm tamen septuaginta fuissent uulnerati, miraculum euidens fuisse declararunt. Indi quoq; quòd nullum potuissent occidere, mirabantur. Præterea eques ille nullum occidit ex Indis, nullum uulnerauit, sed solùm turbabat, perterrefaciebatq;: ubi cederent, abibat: quæ omnia à mortali homine fieri haud

potuis-

potuissent. Propterea Hispani illum equitem, D. Iacobum Hispanorum patronum, Cortes D. Petrum proprium dominum esse affirmabant. Tot coniecturis constat de miraculo, nec superest nisi facti quæstio. His tamen cõsentiunt quæ Romanis contigere de Castore & Polluce, & pòst Cæsari iuxta Rubiconem. Dicerent qui philosophiæ studijs incumbunt, genium fuisse Ducis scilicet Fernandi Cortes: nam & ipse ut Cæsar, multis petitus insidijs, demumq; ui & in hostis potestate captiuus constitutus Diegi Velazquez, & ille prorex erat: inde noctu in mari tempestate oppressus, præter spem omnem seruatus: bis fuga, etiam cathenis per uim educto pede, à tempestate quoq; enatauit: chirographis etiàm ponè collum, quæ aduersus proregem collegerat, seruatis. Vltimò dolos illius sentiens, uitato conuiuio euasit. Talia uidentur penitioribus causis in constitutione magnorum imperiorum cõtingere. Nam & hoc primum prælium fuit, quo Mexicum imperium euersum in ditionem Cæsaris peruenit, idolorumq; cultus sublatus est.

Fernandi Cortes laus.

Pleraq; autem miracula ante maximas res, aut continguntur, aut finguntur, ut non culpa hominum, sed Dei uoluntate, accidisse credantur. Ego tamen in magnis ac raris excidijs magna euenire crediderim, nõ falsò certè (postquàm quæ mihi contigerunt in amici morte, sine fraude, aut ulla culpa fuêre) sed uel repræsentatione, uel superorum uoluntate, uel causis obscuris nobis, naturæ uerò illustribus: quale est quod accidisse ferunt in ripa riui Consote, duobus millibus passuum distantis à Chartagine urbe Peru. Nam ibi cùm mulieres lauarent, ut moris est, apparuit uir augusta forma, exenteratis uisceribus uẽtreq; dissecto, infantes duos in ulnis gerens, qui puellis dixit, Christianæ omnes mulieres interibunt, maiorque pars uestrũm: subitoq; euanuit: risere

Miraculum decimumtertium.

risere mulieres, nec expauerunt, quòd multæ unà essent, Solq; meridiaret, & uiri etiã Indi adessent. Visum est & hoc spectrũ, sed equo insidens, per montium iuga uento o-cyus discurrere: subsequuta mox pestis, quæ mulieres Indas, & maximè quæ iam Hispanis, & Christiano nomini adhæsissent, ad unam fermè perdidit. Mulieres uerò per id temporis, pueriq; multi Indi affirmabant, plurimos uidisse è suis qui antea obijssent. Hæc igitur & talia, ut uideantur, aut uidere se existiment homines, persæpe contingunt causis dictis.

Miraculum decimumquartum.

Nam & in Ormus quendam referunt malæ uitæ, cùm persuasus mutasset institutum, & confessus de peractis pœnitentiam ageret, uidisse circa mediam noctem magnum numerum murium, felium, animaliumq; nigrorum, exterritumq; confugisse ad Christi imaginem, confestimq; illa euanuisse.

Miraculum decimumquintum.

In regno quoq; Paranas orientalis Indiæ, scribit Emanuël Morales, cùm nobilis quidam idolorum cultor ædem sacram quandã igne consumpsisset, correptum repẽtè morbo extimuisse, atq; pollicitum restitutionem sacræ ædis: sed nihil profuisse. Alium, cùm monachum occidere destinasset, repentè interijsse. De ipso Emanuël scribit Henricus Enriquez Hispanus, quòd adeò studio religionis tenebatur, ut inter maximos labores ac difficultates, tædia, uictus inopiam, optimè ualeret: laborabat cùm quiesceret, & commodè uitam duceret. De seipso autem testatur, linguam Indicam, quàm alij uix quinquennio addiscerent, quinq; mensium spacio ita assecutum, ut & loqui, & scribere optimè sciret, & uariare nomina: adeò ut indigenæ maiori cuidam uirtuti hoc tribuerent, cùm esset præmium diligentiæ, industriæ, atque ingenij; in quibus latuit diuina quædam

dam uis. Nam omnia ita sunt constituta, ut utrinque referri possint. Imaginando enim uident quæ non sunt, & metu etiam corripiuntur, & quædam etiam uident, tametsi uerè uidere nemo existimet. Itaq; factum est, ut qui sapiens uerè inter ipsos haberetur, Christi legē receperit: cuius exemplo multi facti sunt Christiani: atq; ita scriptum est, Filij uestri uisiones uidebunt, & somnia somniabunt. Vbi enim lex renouatur, aliquid maius profectò humano consilio affulget. Multa tamen ex his, sacerdotum testimonio habita sunt, quorum proprium est mentiri, ut in Problematibus dictum est.

Miraculum decimum-sextum.

Inter maxima & euidentissima miracula, quæq; nostro æuo contigerunt, nullum maius ac nostræ fidei firmius testimonium uideri potest, q̄ quod de Duarto Pacheco Lusitano refertur: is enim uir singularis bonitatis, prudentiæ, & fortitudinis, circa annum Domini M. CCCC. XCIIII. in orientali India (credo, ut lex Christi inter barbaras gentes promulgaretur) toties, modò cum duabus nauibus, ad summum cum quatuor, pugnauit cum infinita multitudine gentilium & Mahumetanorum: ut aliquando etiam cum octoginta nauibus, præterea cum turribus: &, quod maius est, aduersus infinitas machinas igneas semper uictor: &, quod maximum, nemine unquam bello interempto: quod uerò supra fidem est, à sphærulis milites icti solùm prosternabantur in terram, signo in corpore relicto, cùm tamē eædem transeuntes (miraculum prorsus) tabulas nauis perforarent. Si quis uelit ad naturalem rationem reducere, oportet ut dicat, uel mensurā pulueris, uel rationem componendi defuisse. Sed mirum in tanta copia ictuum, nunquam aliquem in capite ictum, cùm omnes ictus in tam angustum spatium dirigerentur. Atq; eo magis quòd solùm nonagin-

taquatuor homines quando plures depugnarent, plerunq; tantũ septuagintaquatuor aduersus triginta millia ac plures. Inter reliquos Cantaber Piceator nomine Innichus, quem cùm pila in facie percussisset, eo in terram proiecto, exusta barba, solùm ruboris signum reliquit, eadem tamen nauis parietẽ illo percusso perforauit: id etiam mirũ quòd pilæ illæ cùm ex ferro essent purgato, non poterant nisi maximo impetu ferri: neq; enim ullum graue ualde leniter moueri potest, & maximè per longum spatium.

Miracula cur magis circa homines.

Quæret autem quispiam, cur miracula magis circa homines quàm belluas, cùm & belluarum anima sit immortalis, sed non eodem modo quo mens: plurima enim talia ut locus, materia, elementum? Videmus enim plura circa homines, & maximè probos contingere, ut olim de Secdaso ac filiabus referunt. Ita contingit etiam, ut iugulati loquãtur, aliaq; præter naturam mira. Id ergo euenit, quoniam hominis natura in medio est constituta mortalium atq; immortalium: ideo è statu suo facilè in extremum delabitur. Hoc autem quod immortale est, cum superis commune, & supra naturã: aliud mortale penitus, & miraculi expers. Nisi miraculũ dixeris, uitiũ & defectũ atq; errorẽ. Qui uerò hanc refugiũt mediocritatẽ, & immortalis naturæ participationem, ad multiplicem illius compositionem hoc retrahunt.

AVSPICIA.

CAPVT LXXXII.

Animalia bruta an utantur sermone.

HIC primùm quærendum, quod à multis sæpe tentatum est, scilicet an animalia sermone utãtur? dico canes, boues, aues, pisces q. Nam quòd uarijs uocibus ad uarios animi affectus significandos utãtur, haud

haud dubium est. Gallina enim cùm pullos uocat, crocitat: cùm pullos ad fugã ob miluũ hortatur, extendit uocem in longũ & extollit: cùm capitur, clamat anxiè, repetitq; quasi singultiens: cùm ouum parit, exultat: cùm pullos deducit, alia uoce, asperiore, crassiore, atq; rariore utitur, quàm cũ illos ad se uocat: cùm cubat, uoce submissa & ab alijs dissimili utitur. Igitur cùm hæc semper faciat, intelligaturq; ab alijs, clarum est diuersarum animi perturbationum animalibus diuersas inditas esse uoces significatiuas. Psittacus quoque & pica, merula, sturnus, coruus, discunt loqui adeò ut & rideant, & canant uoces musicas Vt, re, mi, quod nuper etiam uidi. Sed & anates repetunt colloquium, ut omninò similes sint hominibus congerronibus. Verùm licet affectus animi in brutis animalibus uocibus significentur, atque intelligantur ab alijs quæ eiusdem sunt generis: nihilominus cùm uideamus uoces esse in hominibus timoris, doloris, lætitiæq; quæ strepitu non linguæ distinctione dignoscuntur, constat animalia bruta sermone non uti: nam quod ad psittacos attinet, uerba illa non ex significatis in anima, sed sola consuetudine formantur. Distinguitur igitur sermo à uoce significatiua in duobus, & quòd sermo à motu linguæ procedit, & animi cognitioni conformis est, quorum alterum deficit semper in belluis: nam canes quidem blandiuntur, & uocem emittunt animo lætanti ac gratulanti conformem, uerùm non linguæ motu id agunt, sed solo impulsu aëris: aues dum modulantur, lingua id efficiunt, sed nihil habet uox illa congruens animi affectibus. Et ut uno uerbo explicem, nullum genus animalium, præter hominem, cognoscit quid agat, quamuis agat. Cùm igitur sermo sit uox significatiua eius qui cognoscit se hoc significare, solus homo sermonis compos est:

facilè autem est intelligere quid significent, & quid sint uoces hæ animalium, cùm in nobismetipsis hæc experiamur. Videntur autem homines iracundiæ uoce carere: non enim habent ut reliqua animantia, quòd homo inter cætera animalia fera, minus sæuiat: adeò uerò iracundiæ uox animalibus est familiaris, ut certantes columbi atq; cuniculi eam edant. Fieri soli homines habent, estq; fremitus quidam. Anates frequenti illa uoce utuntur, quod etiam ab affectu quasi titillationem patiantur. Voces igitur in auibus, affectionum illarum notæ sunt.

Itaq; nihil mirum, si ex earum uocibus auspicium sumebatur. Dolētis enim, aut lætātis, aut esurientis, aut in amorem pronæ, uel lasciuientis affectum, & sortem cum affectu ostendebant. Atq; cùm ea natura auis considerabatur, mores, tum conuictus: quanquam quod ad uoces attinet, ne hi tantæ fuêre solertiæ aut diligentiæ, ut hoc animaduerterent, tātus stupor in inuentoribus, tam rudes qui fallere plebem solent. Cùm inconstantia & uanitas artis nota sint, aut pactum cum cacodæmone. Maximum uerò post auis naturam, moresq; fuit numerus & regio unde auolarent, & ubi residerent, nostri habita ratione.

ARVSPICIA.
CAP. LXXXIII.

Victima sine corde quid significet?

MAIVS testimonium artis præbuit Spurina, qui cùm sacrificasset, non inuento corde uictimæ, Cæsari respondit, imminere periculum mortis, quod non ultra Idus Martias produceretur. Hanc historiam confirmant etiam uerba Cæsaris apud Suetoniū: Nec

pro

pro ostento (inquit) ducendum, si pecudi cor desit: futura omnia lætiora cùm uellet. Et ipsis Idibus Spurinæ irridens dixit, Idus iam uenere. Quasi diceret, & tamen sospes sum. Maius etiam à Ciceronis autoritate argumentum habetur, qui eo tempore & præsens affuit. Et ne sperem elegantius dicere posse, suis uerbis ascribam: Maximo est argumento quod paulò ante Cæsaris mortem contigit: qui cùm immolaret eo die quo primum in aurea sella sedit, & cum purpurea ueste processit, in extis bouis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal quod sanguinẽ habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei nouitate perculsus, cùm Spurina diceret timendum esse, ne & cõsilium, & uita deficeret, earum enim rerum utrumq; à corde proficisci: postero die caput in iecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur à diis immortalibus, ut uideret interitum, non ut caueret. Cũ igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus uiclima illa uiuere nequisset: intelligendum est in ipso immolationis tempore, eas partes quæ absint, interijsse. Hæc in primo de Diuinatione. Vide quid habeat in secundo quod respondeat? Quî fit, ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bouem uiuere: alterum non uideas, cor non potuisse subitò nescio quò auolare? Ego enim possum uel nescire quæ uis sit cordis ad uiuendum, uel suspicari contactũ aliquo morbo bouis exile, & exiguum, & uietum cor, & dissimile cordis fuisse. Itaq; defensio hæc tam tenuis est, ut eam probatio uideatur.

Iecur cũ duplici tunica quid.

Simile quippiam Iuliano Imperatori contigit: Apruncu lo enim oratore Gallo aruspice, qui postea Narbonæ præfuit, inspectante atq; etiam ostendente, iecur uiclimæ cum duabus tunicis ipsi Iuliano, maximè de futuro euentu solicito, Constantium Imperatorem à quo nuper per scelus de-

fecerat, mortuum esse. Nam iecoris caput Imperatorem significabat, ut qui orbem uelut iecur sustineat ac mutet. Tunica illa ostendebat iam oppressum & inutilem quasi uinculis impositis factũ, quales mortui sunt: cùm uerò hæc iure significent, quæritur multò iustius quônam pacto hæc euenant?

Quomodo uictima absque corde.

Itaq; illud statuendum, aut cogi nos dæmonas fateri, atq; ita ars hæc improbissima erit: aut quod tutius, in initio cuiusque Imperij ac regni consentientibus causis, conuenire prodigia euentibus. Vt sic naturalis prorsus sit diuinatio. Orta erat uictima cum oblæso corde, uel etiam loco suo emoto: nam & hominibus quibusdam ad tempus cor in dextra parte nos pulsare uidimus: quorum alter statim perijt, alter adhuc uiuit. Verùm cùm in tam graui causa uerisimile sit, cor Spurinam quæsisse diligentissimè, dæmonũ præstigias fateri tum ob hoc, tum ob multa alia quispiam melius existimabit. De quo inferius dicendum.

SONI AC VOCES QVÆ SVNT PRAETER NATVRAM. CAP. LXXXIIII.

Soni auditi ab autore, mira historia.

QVOD facilius sit sonos audire qui non sint, quàm imagines uidere, docebat Horatius, dicens: Segnius irritant animos immissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Cuius causam sequenti capite ostendam. Verùm quæ mihi quandoque contigerunt, enarrare operæprecium esse duxi. Studebam Papiæ, anno (ni fallor) M. D. XXII. cùm surgente aurora dormiens,

dormiẽs, audiui ictum in muro è regione capitis quasi malleiualidum, dum expergiscor secundum, tertiò iterũ, ut mihi uidebar, prorsus experrectus. Surgo confestim, & in bibliothecã, quæ pone cubiculũ erat, me confero (nam murus utriq; cõmunis erat domui. Habitabã enim iuxta templum antiquissimum beatæ Mariæ Veneriæ: credo oppidò quòd Veneri olim esset dicatum) nihil inuenio, clausæ erant fores. Non solùm dolus aberat, sed & omnis suspicio doli, cùm omnia composita essent, nec quisquam eò ingredi posset. Socium, qui tum fortè unà mecum aderat in cubiculo, alióq; in lecto Ambrosium Taëgium expergefacio, commotus omine non parum, rem narro: ille, ut erat miti ingenio, iubet me considere. At ego tamen, quod prorsus res mihi uideretur ominosa, formidabam euentum. Itaq; cùm & mihi aliquid esset inimicitiarum, decreui me ea die continere domi, quasi certus uenturum quicquam quod me malè haberet. Contineo me domi, nec solùm eõtineo, sed in superiore domus parte, & domus porta occlusa. Vbi aduesperascit, ut gratificarer contubernalibus, portam quidẽ aperiri sino, me tamen contineo superius: cùm ecce aduenit Bonetus Sganzolus, amitimæ meæ quam Drusiana Micheria genuerat, coniunx. Quem cùm ego de parentibus interrogarem, quòd illis non parum metuerem, respondit, saluos esse. Quare una discussa cura, ad pristinã adhuc me retraho. Sed non diu latuit causa, Galeazius enim de Rubeis, faber armorũ egregius, cuius aliás mentionẽ fecimus, ea ipsa hora qua ego strepitũ sensi, me adhuc inscio quòd uel morbo laboraret, expirauit. Præstat autem qualitatẽ hominis, coniunctionemq; nostram hic adijcere: ut quisq; possit conijectari, unde hæc proueniant. Erat hic uir annorũ circiter quinquaginta quinq;, probus admodum, ut existimabatur,

& religiosus: ingeniosus quoque, & mirum in modum mansuetus & comis: abq; uxore & filijs, addictus societati eorum, & ex his unus, qui festis diebus hymnos canunt: scholares beatæ Marthæ uulgus appellat. Hic ergo ob suauitatem morum, & ingenium, & paternam amicitiam quoad licebat illi, ab ineunte ætate mea gratissimus comes fuit. Aegrotauit, ut postmodum intellexi, laterali morbo, & in furorem uersus, nec peccata confiteri uoluit, uel quicquam de more facere. Quinimò etiam medicamentum propinatum abiecit, dispersitq; ob insaniam. Iam uerò mortui sunt omnes socij, qui tunc aderant: atq; inter reliquos Ambrosius Taegius, hac æstate: nam Bonetus & Margarita materna amita, iam pridem obierũt. Leonardus ludi literarij magister, qui domus mihi partem locauerat, obijt, ni fallor: iam diu enim illum non uidi. Atq; hoc est unum quod tota uita mea uidere præter naturam contigit, ad hanc usq; ad diem: nisi quòd in obitu matris strepitus inconditos sensi uigilans, longeq; maiores quàm credi possit, ut adhuc hæreã: sed & de his scripsi aliàs, quoniam & ad naturales causas à multis reduci posse uidentur.

Vocis auditæ ac phantasmatis historia mira.

Ex auditis autem à fide digno, narrabo historiam mirabilem (nam quòd strepitum senserim in hora mortis Ludouici Magij uiri patricij & amicissimi mei, non audebo in prodigium referre, nam alta nox erat & tenebræ, arca uno ictu uehementer icta concrepuit) Erat affinis mihi Baptista Cardanus, maior natu me longè, is Papiæ studebat, nocte quadam ut surgeret igniculum tentabat accendere, interim audit uocem hanc, Vale fili mi, Romam uado: uiditq; immensum splendorem qualis fasciculi paleæ ardentis: territus: abiecto focili, sub culcitra latuit, donec contuberna-

lei ex Academia redirent. Vbi redierũt, existimantes illum

ægrotare,

ægrotare, pulsant ostium, aperit: moræ causam sciscitantibus, respondet, arbitrari se mortuam matrem: narrabatq; quæ & uiderat et audierat, simulq; flebat: illi in iocum rem uerterunt, partim irridentes, partim consolantes: sequenti die cùm nondum accepisset nuncium de illius ægritudine, de morte certior factus est, quòd ea ipsa hora expirasset, qua ille hæc præsenserat. Abest Cardanum oppidum à Papia millia passuum quadragintaduo: uir ille minimè mendax, aut uanus, uel superstitiosus: & qui nihil unquam aliàs præter naturam uidisse, aut audisse se referebat.

Mulieris cuiusdam mirum.

Quod autem supra omnem fidem est, manetq; nunc, admirationemq; maximam apud omnes qui uiderunt, audierunt q; facit, esi mulieris cuiusdam plebeiæ nomine Margaritæ, uxoris Ludouici pictoris: manebat olim in porta Cumana, nunc autem in Porta noua. Ea per urbem uadit ad eos qui illam uocant, & dæmonem socium habere se refert, sed non ire secum nisi rogatum, discedereq; quandoq; per multos menses, deinde reuerti: atq; hic est quæsius eius: introducta enim in cubiculum, iubet ut illum uocent, & interrogent: ipsa uerò condit caput in sinu, rogatq; : uocat autem illum materna lingua, Signor caualier, quod Latinè est Princeps eques: ipse uerò tandem respondet non prope ipsam mulierē, sed procul, quasi uox è muri foramine prodeat: quòd si quis ad locum illum accedat, aliubi resonat uox illa: porrò uox illa uerba nulla habet, nec quicquā significat, sed exilis ac tenuis, qualis ligneorum mimorū parvorum, quos uocant materna lingua magatellos: stridula enim est: ipsa uerò mulier interpretatur quæ audierit, suo more. Dicitq; aliquando uidere eum. Dicebant mulieres cū quibus habitabat, eam dæmonem illum cum linteo quandoq; colligere, ipsum labium eius solitum mordere. Satis

cõstat, illam ubicunq; habitauerit inuisam fuisse omnibus, adeò ut illam cõmonstrare nollent, nec ullius nomen audire: ipsam uerò mulierem labia quasi uellicata & ulcerata habere. Existimamus fucum esse, sed non tanti sumus, ut modum quo id fiat intelligere potuerimus: quamuis multis iam annis publicè tales præstigias exerceat. Accepimus autem à fide dignis, qui illam uiderunt, artem esse qua uocem reflectit. Existimo tamen uix posse fieri, ut si quis mentem adhibeat, exortum illius unde sit, non animaduertat.

Strepitus in littorib. et sub aqua.

In Angermaniæ littoribus rupes & specus cum tam horrendo sono fluctuum & uoraginum ac scopulorum sunt, ut qui eas charybdes impegerint, omninò obruantur, inquit Olaus. Et qui etiam propè accesserint, strepitu nimio obsurdescant, & penè mente excidant. Sub glacie etiã fluminum ac lacuum, cùm fatiscere cœperit, subtus tonitru similis sonus extruditur: quo audito, qui illi incumbunt, statim uasa colligunt. In arcto enim uapor conclusus talia efficere solet, exhalat autem semper aqua: sub glacie autem exhalare nequit.

VOCVM VARIA RATIO.

CAPVT LXXXV.

Sonus in aëre perpetuus.

VOCES fiunt aëre percusso cum re duriore. Aër autẽ perpetuò mouetur, ideoq; etiam sonus perpetuus est. Indicio est, ut Priscianus in Cõmentarijs super librum de Sensibus Theophrasti, quòd obturatis auribus aërem qui intus est sonantem audimus. Sonat igitur perpetuò, sed ob exteriores sonos, non sentitur sonus interior: leuissimus autem sonus exterior multo minus, nam apertis aurib. ab eo qui intus est, impeditur: conclusus uerò

non

nonpoteſt exaudiri. Ob hunc igitur ſonũ quoties uapor aliquis aërẽ mouet uelocius, ſonus abſq; cauſa manifeſta exaudiur. Atq; id prodigij loco eſt. Trãsfertur enim ſpiritus cũ imagine aliqua maximè proprij nominis, quoniam illi frequentius aſſueuimus, unde nos uocari exiſtimamus.

Voces quæ nõ niſi proprietati, cui audiuntur.

Sunt etiam alij ſoni uoceſq; mirabiles: libet autem duo referre exempla, quorum alterũ non abſimile eſt uiſus proprietati, quæ accidit in nebulis: abſentem enim oculus uidet. ac remotam, præſentem & propinquam non cernit, quoniã in illa eſt ſimile quippiam in uocibus contingit, cuius tamẽ cauſa obſcurior uidetur: nam Aniguardæ referũt in uinea uocem ex aduerſo auditam, quæ ſemper in altero terminо uineæ eſſe uidebatur. Quòd ſi duo alterutrinq; ſtarent, quilibet uelut ab alio prodeuntem audiebat. Quinetiam quædam uagæ uidentur uoces, ac quaſi dolentium ac ſuſpirantium, nec ut propè acceſſeris ibi audiũtur, ſed procul quaſi effugiant. Nec eſt hic affectus audientis, quoniam pluribus ſimul idem euenit: qui autem ſunt hominum errores ijdem proprij ſunt illis: quare nihil tale poteſt eſſe ſonus. Sed quemadmodum Gryllis hincinde ſtrepentibus, ſemper audimus eos qui procul abſunt, ſilent proximi præ timore: ita contingit in his uocibus, ſi modò uoces appellare fas eſt. Inde ad dæmonas hæc ob admirationem referri ſolent, aut animas iam defunctorum. Referebat M. Antonius Maioragius Aprili menſe audiri in Eupilo lacu ſonum ſeu uocem eiuſmodi, ôh ôh ôh ôh ôh, ſed longiuſculam, ita ut extrema uox conciſa eſſet: & his annis, neq; enim ſingulis auditur, prouentum uberiorem omnium ſequi, uini, tritici, ac cæterorum. Igitur cùm hæc (ut aliâs dixi) etſi ita non eſſent, certum tamen ſit eſſe poſſe, quærenda eſt ratio: nam in religionem talia uerti ſolent. Haud dubium eſſe debet

Eupili lacus mirum.

percuſſa,

percussa, uel sub aqua, uel in imo ac fundo sonare, sed obtuso sono, quod expertis sumus: adeò ut concusso sub aqua corpore, aër qui ibi est sonat, transitq; sonus in aquam, ac rursus in aërem. Itaq; concalefacto, accedente uere, limo, & in aërem conuerso, fit sonitus: nec necesse est semper aquam feruere ob id, nam frigore aquæ dissipatur, aut extinguitur uapor. Quòd si dissipetur: motum in aqua concitat, sed non uno loco, uerùm per magnum spacium, ut deprehendi nequeat: calor uerò ille fertilitatis plerunque signum, quod omne solum aquis abundans, ubi incaluerit fertile sit. Sed iam redeo ad primum, quod causam habet obscuriorẽ: nec enim est ex similibus similia interpretari. Cùm enim nebula procul uidetur, non propè, hoc contingit quasi radius ab oculo prodeat, qui non potest ubi debilis extiterit, penetrare aërem densiorem: ita fit, ut cũm sonus leuis uniuersum aërem agitet, procul quasi sentiatur, cõuersa quasi ratione, quoniam qui ex longinquo auditur, quasi leuis apparet: & maximè cùm tardo motu aduenire uidetur. Graauiores igitur ac submissæ uoces, procul sentiri existimantur. Accedit, quòd sonus is ob motum aëris & impedimentum colligitur in extremis, ut de Echo diximus: nihil autem impedit, quò minus maior sit uis reflexæ uocis, quàm principalis: quoniam quæ reflectitur, colligitur, principalis autem dissipatur. Indicio uerò est ubi reflectitur, non posse exaudiri, sed procul, quod neque in echo hoc cõtingat. Tot igitur & tanta ad ementiendam uocem in agro, quæ procul exaudiatur, prope autem non, accepisse oportet: ob id q; rarissimè cõtingit: prope autem nunquã, nisi uitio hominis.

Sonus transit p omnia elementa.

Nebulæ cur procul non propè uideantur.

Verùm cùm multa casu fiant, quæ omnem superant cogitationẽ, idcirco fit ut etiam in miracula referãtur. Quod uerò mihi contigit calendis Iunij, dum hæc emendarem, dicere

cere non grauabor. Fortè fortuna intentus his cogitationibus, à cane uilloso Belgico qui è more super limen ostij decumbebat, dum pulices excutere nititur percusso ostio sub aurora experrectus eram: dum interim sentio clauem in seram introduci, expauesco, & iure meritò: nam seu latro esset, de uita cùm ageretur, seu id ostentum esset, timendum mihi erat. Interim clauis non circumagitur, sed paulò pôst rursus uidetur introduci: iam tunc confirmor rem hanc esse præter naturam, ut crederem. Surgo, narro hæc domesticis, quid plura? illi mirabilia audisse testantur: multa erant quæ audisse sibi persuaserant, sed multò plura addebant. Quid amplius, iam tota domus plena dæmonibus erat. Dicebam ego, nil mirum, omnia mihi conuerso ordine euenierunt: alijs enim cùm domus infamis strepitibus fuerit, exædificatis nouis muris purgatur: ego cùm nuper ædificauerim, quæ pura iam esset, eam pollui. Sequenti die ecce canis rursus dum cùm pulicibus rem habet, ostium pulsando, expergefacit: tum sentio rursus clauem induci in seram, sed non tam exquisitè: tum ego sedata mente, ecce dico dæmonium ridiculum: surgo & experior, in cardinem repagulũ laxius incidebat: quod compresso ostio cardini affricatum, imaginem inductæ in seram clauis exhibebat: ita egregius hic dæmon in uentos euanuit: nam canis ubi excussisset pulices, sensim ostio hærens atq; illud comprimens, repagulum affricuit cardini. Multa igitur talia quæ omnem effugiũt rationem, casu & natura fiunt: quibus indocti, aut superstitiosi, aut timidi, aut nimis præcipites, miracula sibi fingunt.

Historia ridicula.

Naturale quoque est, ut uox per fornices transferatur, adeò ut si quis ex aduerso cubiculi constitutus sit in angulo, etiam submissa uoce loquentes exaudiat, cùm qui in medio sint, nihil possint audire: nam uox parieti hærens progreditur,

Vox submissa quomodo exaudiatur.

greditur, uelut aliâs de hasta dictum est: quamobrem fornices planos esse oportet, non autem lunatos aut inæquales. Et quantò antiquiùs cubiculum fuerit, eò melius, quia siccius: manifestum est autem hoc modo, posse dolo sciri secreta colloquia. Quia ergo proxima adhæret stridente muro in uertice, quia rotunda æqualiter fertur, adeò ut nihil referat, ac si propè fores, quia æqualis non intercipitur ullibi, quia murus siccus faciliùs resonat: sonant enim quæcunque sicca clarè, humida nequaquã. Ergo auris ipsa ut magis hæserit parieti, eò melius. Vt ergo ad propositum argumentum hoc reducam, qui nesciunt naturales causas, ad miraculum hoc traducunt.

Mons dolorosus.

In Calidonia regione Scotiæ, mons est nomine Dolorosus, in quo noctu uoces quasi hominum excruciatorum exaudiebantur: an dæmones, aut animæ defunctorum? cur enim ibi omnes? aut si pars tantum, cur pars? an ideo quod maiori spacio omnes indiguissent? Ergo uapor erat tenuis, qui sensim statisq; temporibus prodibat: nam si plurimus & crassus extitisset, die quoq; sonum ædidisset, idem noctu auctus non iam ingemiscentium hominũ speciem, sed boatus speciem fecisset.

Tonitru diuturnũ quid significet.

Tonitru naturalis profectò res est, fitq; diuisione nubium: neque uerò multiplex hæc diuisio esse potest, quoniã ex eadem parte exaudiuntur: contigit tamen ut in diuersis partibus simul fiant: atq; eo modo è pluribus unũ fit, quod in longum extenditur, uelut contigit sub initio Septembris huius anni, magis autem hodie uigesima scilicet octaua mensis Septembris anni M. D. L V. fermè enim per duas horas perdurauit, quod unum alteri succederet atq; iungeretur: fit hoc ob densas nubes quæ multipliciter magis, atq; in minima diuidi possunt; tum uerò multiplicibus uentis,

quã

qui ex diuersis partib. exoriuntur, perpetuoq; successu hanc imaginem reddunt. Itaque quamuis naturale hoc sit, si tamen ultra horæ metam extendatur, prodigiosum erit, quoniam sui natura tonitru breuis sonus est: fit enim ex impetu uenti nebulam lacerantis, ut dictum est: uenti autem impetus diuturnus esse nequit: si igitur contingat ut ultra horam extendatur, prodigiosum quippiam significat, stellarumq; consensum, quæ multis ex partibus uentos simul excitant acres, simulq; necesse est concursum secundarum causarũ fieri: unde & motum deriuari ad hæc inferiora, ita ut infrà breue tempus contingant in ea regione bella & seditiones ex pluribus partibus, & fiat maxima desolatio.

Vox ipsa maximè frangitur inani, si obstacula adsint, unde si cubiti spatio conclauiorum ostia distent, uox exterius occlusis ostijs non exauditur. Ego tamen tutiùs expertus sum solidum obstaculum ueluti murũ. Sin autem foramen aliquod sit, aut superius pateat, uox non intercipitur. In conclauibus quomodo uox intercipiatur.

Multa præterea accidunt quæ ratione carere uidentur, & ob id in prodigium referuntur. Anno præsenti die uigesimasexta Aprilis, sequente uigesimaseptima nocte, audiui strepitum quendam uelut excutientis pennam ictibus circiter quindecim uel uiginti: ter autem id contigit, nec quicquam notatu dignum subsequutum est, nec causam possum uenari. Ita multa circa hæc contingunt, quorum causam coniectura assequi non facilè est. Nec tamen præter naturam facta uidentur. Si enim dæmon est, cur in luce hæc non agit? & cur non perseuerat? & quid molitur his ictibus? An ideo agit in tenebris, ut nos terreat? an quia in luce uideri timet? Soni quorũ causa obscura est.

VISVS

VISVS FALSA CAVSA ET SPECTRA. CAP. LXXXVI.

Spectra quot modis fiant.

OMNE spectrum fit mutato sensu, aut medio, aut re: neq; enim plures modos est inuenire. Vt uerò sensus certa ratione mutetur, difficile est: ut incerta, facillimum. Medium uerò cùm Sole illuminatur, difficiliùs immutatur, quòd Solis uis potentior sit: ob id noctu faciliùs spectra fiunt & illusiones sensibus. In rebus autem ipsis, multis modis contingit. Quæ igitur ad sensus attinent, nunc omittam, quod non solùm (ut dixi) ad incertum genus tendant, sed quod non unum tantùm sensum mouere possunt, sed plures, aut alios, atq; longè diuersos, ueluti auditum pro uisu. Dictum est aût de hoc aliâs. Præterea de magicis inferius tractabimus. Relinquitur ut de re ipsa dicamus & medio. Dictum est etiã de medio aliâs. Sed res ipsæ à natura sua multis modis mutantur, ut in iocularibus manifestum est, ob uelocitatem, aut instrumenta quædam.

Spectrum artificiosum.

Nox uerò uidetur harum ineptiarum mater. Verũ utut ineptiæ sint, etiam quandoq; magnarum, imò maximarum rerum causæ sunt præstigiæ. Veluti contigit Cenetho secundo Scotorũ Regi, cui cùm Picti patrem Alpinum captum occidissent, & ipsum Regem timore perculsis, cùm persuadere non posset subditis ultionem (nam maxima pars nobilium & militum regni, paterno prælio ceciderat) principes Regionum conuocatos benignè excepit. Inde etiam hospitio & conuiuio dignatus est. Sequenti nocte in singulorum cubicula, dum omnia silerent, singulos immittit homines, baculo in manu dextra ex putri ligno, quod uelut fax

splendet

splendet in tenebris (hoc enim aliàs docuimus) ueste ex corio piscium non desquamato, quod & ipsum noctu mirum in modum splendet, tum maximè baculo auxiliante (est autem horum piscium magnorum in Scotia ingens copia) in sinistra, quæ ori admota erat, ingens bouis cornu: nam & talia in ea insula cornua boum esse declarauimus. Hi omnes per cornu reboant horrenda uoce, parendum esse Regi, Pictos daturos pœnas scelerum, uictoriam ingentem apud Scotos stare, se nuncios à Deo missos. Facilè fuit somnolentis imponere, quum neque uenientes, nec abeuntes uidere possent: nam uestem inuoluerant, dum abirent, baculum absconderant. Vbi manè uentum ad consilium est, quisque narrat, quod uidisset, audisset q: sed Rex metuens, ne fabula prodiret in publicum, ob id q detegeretur, primùm docet id sibi etiam usum, deinde cauere illos, ne diuinitùs monita promulgãdo cœleste numen haud dubiè propitium, infensum redderent. Ita q nemine fucum agnoscente, in bellum consentiunt, fuit q euentus non minus, quàm oraculo diuino respondens: siquidem uicti Picti semel, bis, terúe: ad extremum deleti sunt à Scotis, ut ne reliquiæ aut uestigium superesset.

Aliud, quo plures usi sunt: scarabeos uel testudines, aut cancros cœmiterijs præsertim spargunt cum exiguis candelis: alij subtilius mortuorum capitibus intra condunt candelas, horrendam q faciem præbent. Si autem locustarum dorsis candelæ exiguæ annectantur, terrorem leuem afferunt. Ignis enim saltare uidetur. Spectrum secundum.

Aliud, quo chirurgici etiam falluntur, existimant q uulneratum membrum haud dubiè: cùm manus sic medicamento inficitur, ratione constat, ut pleraq experimento, & usu: talia plurima edocuit uir Græcus natione, qui ad nos per- Spectrum tertium.

uenit, quæ tamen solûm ioci causa fiunt, cûm nullam afferant utilitatem. Ratione igitur quoniam in uulneribus cauitas, sanguis, atq; nerui nonnunquam spectari solent: semper autem fermè uulneris labia. Cauitatem ergo prominentia laterũ mentitur: sanguinem minium, aut lacca, uel cinnabaris, optimè sanguis draconis: neruos, filamenta cuti & carnis, labia, cerusa, resina, sepo, uel cera alba: hæc autem experimento. Vsus ornat fallaciam.

Spectrum quartum. Aliud, quo omnia quæ in domo sunt, moueri uidentur, ut terræmotus tempore, sed solus uisus in hoc fallitur. Primùm quidem laquearia, & parietes è ligno, aut cemento sint forma serpentis, & striata in obliquum, & inaurata sic ut splendeant: inde fiat flamma tremula, ut suo loco docuimus, & ablato omni alio numine, dico omnia tremere uideri. Nam quia pars AB (sed tortuositas in plano nõ benè exprimi potest) uidetur iuxta AC lineã, lumen uerò fertur per AD, necesse est, ut AB moueri uideatur, rectus enim motus luminis fertur per obliquum:



igitur tum propter proprium tremorem flammæ, tum propter obliquitatem motus, uidebitur tremere. Adiuuant autem plurimum ad hoc ignis non splendidus, & cum fumo: nam debilis actio facilius uitiatur, quàm ualida, sed fumus flammæ sociatus, & flamma uubecillis, quæ à leui substantia procedit, debilẽ usum facit: igitur talis ignis, flammáq; leui fumo iuncta, hoc spectri genus efficiet.

Spectrum quintum. Non possum præterire, quod edoctus sum per somnum hac nocte, quæ est uigesima octaua dies Ianuarij, M. D. LIIII præcedens, dum librum hunc ultimò transscribebam, uidebam parietem, in quo imagines depictæ erant plurimæ,

rimæ, quarum aliæ ambulabant, aliæ colloqui uidebantur, stabant nonnullæ, erant quæ sederent, quæq; deambularẽt: mira certè res. Tum ego, id mirũ profectò est: tum quispiam qui aderat, Non est hoc miraculum, sed tu inuentor fuisti huius rationis: memini sanè: tum ille excipiens, inquit: Paries hic in cryptoporticu ex aduerso uiæ publicæ, quã scis esse maximè frequentatam, & nunc fortè fortuna milites transeunt, positus est. Illucescat sol in uia, docuisti qua ratione imagines ex umbris in aduerso pariete uideantur: hæ autem quæ plurimæ sunt in extremitatibus parietis, ac quasi confusæ, nonnullæq; in medio, & quasi sedere perspicis, omnes sunt picturæ, ad similitudinem umbrarum effictæ: ut cùm umbræ discedunt ex finibus parietis, aliqua pictarum moueri uideatur. Tum ego, Certè pictas uix ab umbris distinguere licet. At ille, Fuit hoc artis egregiæ opus: nam sumpta ratione ex libro tuo, dominus ædis hoc commentus est: hominum colloquentium effigies, non picturæ sunt, sed umbræ: stant enim hi duo in uia, & mox discesserunt. Verùm ego mecum recogitans, intellexi licere hoc idem in tabella facere, quæ transferri posset.

Nicolaus Siccus præfectus Iusticiæ, uir insignis, quem honoris causa nomino, dicebat se expertum esse flante uento, si equi aduersus illum ferantur imagines leues, uelut è pluma, uel charta depictas, filoq; annexas equi postilenæ, ferri per aërem, adeò ut si filum tenue sit, res prorsus mira uideatur, id uerò iure meritò: nam cùm uentus in aduersum feratur, imago uerò lata sit, ac leuis, non potest rectà decidere: sed uerò iuxta uenti impetum, uelut reliqua, quæ decidere solent, quia à filo retinetur: necesse est igitur sursum ferri, ac spectri uidendi causam præbere: uerùm ad nubes usque, magna dubitatio est, aut enim filum frangetur,

Spectra in nubib. quo modo fiãt.

aut uenti uis non eousq; pertingit, aut impetũ tanta longitudo fili retinere non potest. Verũm id alijs experiri sinamus: compendiosior enim ratio in Aesopi fabella descripta est: nutrita enim aquila ex his, quæ in sublime uolant, annexaq; pedibus imagine, deinde dimissa, spectri uidendi causam subministrabit. His quidem artibus ad accendendum militũ animos, dum pugnaces exercitus prope positi sunt, non inutiliter utimur.

Tympani mirum.

Fiunt & quædã, quæ spectra licet non sint, admirationem tamen pariunt. Tympanum è pergameno figuris pingitur uarijs, ita ut sensim descendat ratio picturæ: & rursus descendentes excipiantur ab ascendentibus: in obliquum enim situs earum tendit, ac quasi per æquidistantes lineas, ut à latere uides: in medio lumen collocatur, quod more flammæ, quæ nerua circumagit, tympanum uertit, cumq; semper situ differentes figuræ occurrant oculis, omnes aut ascendere, aut descendere uidentur: quod mirabile est. Iucundum etiam est uas duplici uitro cõficere, ut à latere uides: in medio candela ardet: inter uitri superficies, aqua aut humor uarius ac perspicuus ponitur: ita & splendor duplicatus, & mira colorum uarietas interlucet. Quidam autem in medio pisciculos inter uitri superficies collocarunt, auicula modò pisciculos mirabatur, modò rostro petere nitebatur. Licet multiplices candelas, & lumina, & uasa,

Vitrum uas duplicatũ.

uasa, humoresq; iungere, ut res fiat admirabilior.

Vt homines mortui uideantur: uinum cum sale ad consumptionem partis tertiæ coquito inde uinum illud accende, sublata omni luce alia, & ipsis immobilibus manẽtibus, speciem mortuorum præbebunt. Hoc autem alibi aliter facere docui. Referunt etiam, astantes Aethiopas uideri, sæpiæ atramento: addunt quidam calcantho, alij addita ærugine, si nulla alia lux adsit. Ostendit enim lux, quæ sunt, & sub proprio colore: lux quoq; simlis ei in quo accenditur, cùm repentè ardet: ardet autem flamma omnis repentè, pingue autem ardet. Ob id non atramentum, etiam si oleo misceatur. Carnes quoq; coctæ crudæ uidentur, insperso agnino sanguine sicco: soluitur enim, & carnium colorem mutat. In uitreo uase matulæ simili aquam conijcies, parumq; ex ea sumens crocum in linteo ligatum, donec tingatur aqua, confricato: inde oui candidum digitis septies, aut octies confractum in ea poto, totumq; in uas illud conijcito permiscens aquæ: uidebis enim, ut referunt, quasi oppida, & arces ac turres in aqua sparsas.

Homines ut mortui uideantur.

Lib. 4. de Subtilitate.

Homines ut nigri uideantur.

Carnes coctæ ut crudæ uideantur.

Arces & turres ut in aqua uideas.

Vt uerò omnia sub quocunq; colore uelis, certissimè uideas, laternam construe totam quidem ex lucidissimo cornu atq; perspicuo, sed maxima parte candido, una uerò colore quo uis imbuta: atq; alijs sublatis luminibus partem coloratam uersus eos uerte, quos uis colore uideri, & tota quidem domus splendida uidebitur: hi uerò nigri, uel uirides: est autem hoc genus umbræ, umbra etiam semper nigra: hæc uerò per corpora transiens, illorum colorem super obiecta defert, ut alibi ostendimus. Consimili ergo ratione non solùm colores, sed & motus modo supradicto, & formas etiam aliquatenus imitaberis.

Vt omnia quæ uelis, colorem uideantur habere, quem uelis.

Verùm mutatio coloris haud præstigiosa fit atramento

typographorum, non eluitur ob pinguedinem: & nigerrimum est, quoniam totam superficiem ob tenuitatem occupat: neq; diffunditur, ut scriptorium: imò madida charta, & minimum habens glutinis, prælo subijcitur. Vix eluitur etiam post multos dies. Sed de his alibi dictum est. Constat sanè faciem sic posse mutari: alia quoq; rugas tollunt, alia inducunt: color etiam capillorum, & barbæ mutatur, ut sic periùs docui. Dignoscuntur enim homines maximè quinq; signis, faciei habitu, colore, statura, uoce, ac uestibus. Vestes facillimè, inde colos, pòst uox mutari possunt: faciei habitus, & maximè hominem prodit, & difficillimè peruertitur: omnia tamen magico auxilio, naturali tamen, permutari possunt. Hoc est quod antiqui sub fabuloso uelamine prodiderunt, dicentes, hominem posse reddi inuisibilem: talis enim est, qui non potest agnosci. Sunt autem quidam, qui uel solo incessu laruati dignoscuntur, alij sola intuendi consuetudine.

Hominis mutatio.

MENTIS PRÆSAGIA, ET ORACVLA. CAP. LXXXVII.

Tria præsagiorum genera.

MENTIS præsagia tribus modis fiunt: alia quidem in somnis uotiuis, uelut qui Aesculapij templo curabãtur somnio admoniti. Sic Caracalla concepto furore, quòd Getam fratrem occidisset, sanatus est. Alia uerò aliquid agentes, ut oraculum Colophonium, ebibita fontis aqua, qua in furorem agebantur: Branchidicum, cùm sedentes ad fontem hausto uapore diuinabant: Delphicum, cum sedentes ad os antri: & Trophonium, cùm antrum ingrediebantur. Spontaneum, cùm nihil agendo

Oraculorũ genera qua sint.

mens

mens præsagit. Facilius autem est præsagire in somnis ac ectasi, quàm cùm prudentes sumus: quoniam seu dæmon, seu cœli uis quædam, seu simulachrum causa sit: omninò facilius mouet mentem non occupatam sensibus, quàm implicitam alienis negocijs. Non secùs ac qui in nocte exiguos sonos percipiunt, in die autem non. Quò fit, ut qui subtili sunt mentis acumine, & puri à cibis, moderatiq; & absfemij, & carnes non edentes, & à Venere, ciuilibusq; negocijs remoti (quoniam omnia hæc uehementibus motibus animas mouent) melius præsagiunt. Parati quoq; sacrificijs, non ob illa: est enim præter institutum hoc, sed sicut adhibita aure, mentéq; melius audimus, quàm non animaduertentes. Ob id igitur miramur errasse quandoque, cùm in tenuibus sensibilibus facilè contingere errorem, non sit admiratione dignum. Igitur seu species hæ sint cœlestes, seu naturales, seu dæmonum, cùm prætenues sint, facilè fallunt. Velut cùm in tenuibus pictuiris oberramus, nec tam benè collimamus filum immittentes foramini acus, ut ruentem in ostium. Et ob id dicimus, oracula esse dæmonum, quòd persuasum sit dæmones fallere. Sed mens potiùs (ut dixi) fallitur, quàm species fallunt nos. Sunt enim aut rerum, aut causarum, aut ostentantium se dæmonum. Illud uerò fecit fidem, quòd à dæmonibus prodirent responsa: quoniam ex antris illis, ubi fatidica erat, etiam usque in adytum ignis, & flamma procederet. Ignis autem dæmonibus tribui solet: malis quidem ob cruciatum, bonis uerò & à Platonicis ob splendorem, & claritatem. Videtur igitur in his omnibus puritas animæ ab effectibus causa esse, & consensus in hoc toto. Cùm enim unum sit uelut homo totus, modica festuca inter dentes recepta, molestia afficitur: ita & in mundo plurima alijs cõpatiuntur, maximè distan-

Conditiones benè præsagientis,

Præsagia, & oracula cur persæpè falsa.

Causa ueritatis prædicorum.

tibus. Penetrat autem uis intellectuum in animas tenui spiritu reuulsas à sensibus, uelut dum de hominis miraculis loqueremur, diximus. Atq; ob hanc coniunctionem (ut anteà diximus) relucet in sensibus ab anima, quod in illis est. Sed cur per eadem, uelut & in somnijs? hoc enim multos fatigauit. Dupliciter enim illud, aut ueluti cùm oraculum respondit, Appio:

In principio huius libri.

Effugis ingentes tanti discriminis expers
Bellorum Romane minas, solusq; quietem
Euboici uasta lateris conualle tenebis.

Verùm hoc facilè dissoluitur dubium: quæ enim futura erant de illo, quanquam præter propositum interrogantis, respondit: Initium autem ex motu, ut in organis: fides enim quæ respondet pectini, resonat. Ita fatidica eam speciem mente concipit, reijciq; in sensum, quam intellectus supremus, amoto uelo, per conceptam iam uerbis imaginem in fatidica referat. Difficilius quod in somnis euenit, ut mihi nuper asturco in ouem mutari uidebatur, & ex oue in asturconem rursus: cùm uerò equitare asturconem uidebar, ibam & tutò, ut par erat, & facilè ferebar: ferebat & ouis, sed difficulter, & postmodum posse ferre desijt: atq; ita inequitans ouem albam solutus sum somno, cùm equus esset fuluus. Vnũ igitur equus, quod mihi uerè sit, & quod equus: aliud ouis, quæ mihi nulla est, & præter naturam transmutatio, & neutrum significat id, quod futurum est. Vnde igitur hoc? Ouis quidem significat fortunam, & bonam, præsertim alba, & nobilem ac potentẽ: equus ille dono mihi datus fuerat, à uenerabili Archiepiscopo beati Andreæ: significabat igitur eum mihi aliquo modo suffragaturũ, quando imago muneris eius in rem utilissimã transierat. Venerũt intra duos dies nuntij ab illo, atq; iam uisum est somniũ,

Somnium authoris mirum.

quid

quid portendat, & quale initium. Cur igitur non potiùs uidi nuncios, fortunamq; qualiscunq; futura est, quàm equum loco domini, ouem loco fortunæ? Si ad illos, qui dæmones nobis præsidere arbitrantur, dubium transferatur: facilè respondebunt, quod breui plura significantur: puta ouis quietius lucrũ, qui facilius tractatur, quàm equus, cum dubio itineris, nam modò ouis, modò equus uidebatur, ut demum me non facturum iter significaretur, minusq; lucri, quàm olim, nam ouis longè minùs equo æstimatur: absque scelere, fraude, contentione: nam ab omnibus his hoc animal immune est. Forsan & tempus designabat æstatis scilicet, nam ouis eo tempore tondetur. Cùm non plena animi satisfactione, cùm mihi conuenire haud uideretur, quòd ouem, quæ me ferre uix poterat, equitarem: indicans fortè bellum, cuius causam præbuit euentus, qui secutus est intra tres dies, occupatis Vercellis à præfectis Regis Gallorum per proditionem, unde mihi optabilius iter foret: ut utrimq; proposita conditione, electaq; quiete, præsagiret pœnitentiam electionis. Vnde igitur tam paucis qualia fuerunt ouis, & equus mihi olim dono datus, tot significari poterant? & forsan longè plura, quæ euentus postmodũ declarabit, quæ nunc difficilimũ esset præsagire. Nolle etiam dæmonas hæc tam clarè uideri, ne Fatum possit declinari, & quia forsan neq; illis omnia perspecta sunt. Vnde his inuolucris re perfecta præuidisse illos intelligimus, nec fas est subterfugere. Et quæcũq; euenìunt, præsagio melius accommodantur. At qui dæmonas in causa esse horũ negant, difficilius his respondent. Nam loco dæmonis, ipsam mentẽ accipere conuenit, quæ speciem ab intellectu supremo demissam, uelut in cauis atq; enormibus speculis, difformem reddit, atq; ideò interpretatione postmodum indigentem.

Cognitio autem, quæ à medicis, agricolis, nautis, militibusq; habetur, non est admiratione tam digna, nec illi conuenit præsagij nomen. Neq; etiam prudentũ diuinatio debet præsagium appellari, quamuis cognitio illorũ certior, & minùs fallax sit. In se autem & causæ contemplatione, certissimum est mentis præsagium. Nostri autem ratione securior est naturalis prouidentia. Hæc autem plurimos aliti illa si benè cedat, ad maximos gradus ex infimo statu eleuat. Ob id non malè mihi fortuna usi uidentur, qui temerè quasi: audaciter autem certè ex præsagio de magnis rebus & felicibus pronuntiarunt, sed non frequenter: non benè autem qui timidè & cunctanter. Ergo de magnis rebus ac fœlicibus, raroq; securiter prædicendum. Erramus ergo bifariam, si uel timidè de his, & ambiguè prædixerimus, aut si audaciter, & explicitè, cum aliqua ex tribus conditionibus defecerit. Sed & quartam adesse oportet, ut scilicet illi prædicatur, ad quem pertinet.

Nihil est quod tam celeriter euehat, quã certũ mentis præsagium.

Modi præsagiendi ex mente, qui.

Modi autem præsagiendi ex mente, tres sunt: somnium, spes, ac sternutatio: demonstrandum autem hos esse, neque plures, & quomodo nam uigilãtes, aut naturæ impetu præsagimus, atq; id ex sternutatione: inquit enim Aristoteles in libris de Natura animalium, sternutamentũ signum augurale, & uerum è spiritibus uniuersis sanctum, & sacrum. Existimat idem auspicatiora esse, quæ post meridiem fiunt. Est autem ueritatis signũ, & liberationis à discriminibus. Symbolum uocant id augurium, in pugna obeunda fœlix, natura infestum flatum propellente: in alijs negocijs solùm haud auspicatum: adeò ut si caligãs induentibus contingeret sternutare, in lectum redirent antiqui gemmatum fœlicius est. Sed in omnibus non solùm sternutamentis, uerumetiam alijs, quæ nunc dicemus, auspiciorũ generibus obseruanda

Quæ in prædicendo ob fuga sint necessaria.

uanda tria sunt: Primùm, ut nõ naturalis res sit, sed à naturali aliquantulũ dissidens, uelut & de tinnitu illo, quo ego per multos annos famæ & rumoris de me admonebar: neq; enim similis hic erat affectui morboso, quem nunc aliquando experior: hic enim intra, ac quasi fixus est, & grauis: ille leuis, & tanquam exteriùs adueniens, ac uelut separatus: quinimò & totum concutit caput, quasi cogat me animaduertere: hoc uerò seu sternutamentum foret, Socratis Deus aut dæmoniũ appellatur: res sanè mira & incredibili proxima. Dignoscitur uerò ex hoc principaliter, quòd familiaris est, & in negotijs semper ferè adueniens: neq; aliàs, quod in morbis haud contingit. Secundùm, ut hæ obseruationes sint à probis uiris factæ: nam si ueræ esse debent, quônã pacto absq; afflatu diuino erunt? quamobrem & quomodo in anima flagitijs coinquinata, sceleribus sordidæ, uitijsq; maculata? Est autem munda omni anima, quæ quatuor hæc secum retinet constanter: amorem iustitiæ, recognitionem omnium bonorum à Deo, ut nihil sibi penitùs tribuat: pœnitentiam malè factorum cum recompensatione damni iniustè alteri illati: & ut ueniam à Deo petat. Manifestum est autem quòd sobrium, & moderatum esse decet. Fiunt & malis quandoq; uera auspicia reipublicæ causa: sed malorum semper inconstantia atq; rara. Et in sceleribus patrandis nulla fiducia. Fallax enim est autor mali. Haud dubium enim esse potest, idem esse necessariò malum & mendax, uerum & bonum: quod & hi, qui de entis generibus locuti sunt, docent. Tertium est, ut nõ in leui causa hæc adhibeantur, nec repetantur, nisi cũ obscura fuerint: alterũ enim nimis solicitè est, & ad humilia opera tantũ numen reuocantis: reliquum rem desiderantis, non rei ueritatem. Digna est ueritas, quæ illam exposcentibus seu studij causa, seu ob necessi-

Anima pura, quæ requirat.

cessitatis alicuius impetum impertiatur animæ puræ, non obscœnæ.

Somnia uera quomodo impetranda.

Secundus modus est (ut dixi) per somnia, animo quidem ut propositum est, elato ad Deum, & minimè sordido, uisum autem est, ut sub ceruicali librum quempiam ad hoc intentum conuenientem ponerem. Elegi autem Vitam patrum, tanquam optimam in hoc negocio, profuitq; quanquam enim plura fabulosa contineat: certum tamen est, illos uiros beatos tanta abstinentia, tantaq; animi puritate, atq; innocentia multa promeruisse ab eo, qui fons est ueniæ, sapientiæ, beneficentiæ, atq; liberalitatis. Itaq; hæc quasi animam confirmant ad securius petendum, & firmius sperandum: nam falsa illa, quæ libro inserta sunt, non uitiant illorum dona aut uirtutes, sed in crimine historiam texentis sunt reponenda: haud enim dubium esse potest hos homines tam sanctos uidisse quàm plurima, & uera: uitamq; duxisse, si nõ omninò tam admirabilem, qualis describitur, saltem tamen asperam atq; arduam ac raram. Post Patrum uitam, si desit, Nouum testamentum supponatur capiti. Sed hoc diuinius est, minus negocio accõmodatũ. Succedunt ergo ex his somnia clara, nitida, ordinata, læta, etiam in malo genere quæsiti sub diluculo, quæ animam admiratione plenam reddunt, diuq; in sui memoria retinent.

Sortes quomodo explorandæ.

Sortes uerò ex utroq; testamento à me deduci solent. Et raro, nec nisi in magnis (ut dixi) negocijs, & ubi humana ratio non suppediitat argumentum. Prophanum enim est, ubi naturalis prudentia nos adiuuare potest, diuinam tentare maiestatẽ: & singularia quærere auxilia cùm communia satisfaciunt. Quambrem & hæc non tuta tamen, neq; pia: ut neq; his omnibus superstitiosè uti, seu suffitis, seu notis, seu uestibus, seu dierũ obseruatione, aut alia quapiam per-

perdita consuetudine. cùm sufficiat mentem puram offerre purissimo illo splendori, neq; libris, aut talibus ad supplicationem indigemus, sed solùm ut nos per aliquas notas intelligamus: aut ut mentē nostram magis à corpore Deum uersus eleuemus. Quò fiat ut etiam puri suffitus thuris, quales in sacrificijs adhiberi solent, & ad uenerationem altissimi, & ad constantiam fidei uelut & libri, & ad cerebrum repurgandum uelut abstinentia, proficiant. Itaque hæc omnia ad religionem, & ad superstitionem solo mentis nutu retrahi possunt. Cauendum est autem omninò, ne pro pecunia, nec uili re, aut improba, uel improbo homine, imò uix pro alio etiam innocente, talia tentare audeas: præter enim quod irrita tunc uel in posterum r d des uaticinia ac diuinationes, margaritas suibus obijciendo, non leuem offensam superùm incurres, quam forsan protinus proprijs malis incertus causæ expiabis. Porrò alias sortes tentare omninò prophanum est: ac quasi alium, quàm cui cuncta debemus obseruantis. Sternutamenta etiam nimis curiosè stulti, quoniam nimis frequenter naturalibus causis sunt obnoxia. Illud quoque absurdissimum matutina esse irrita atque nephanda, meridiana autem firmissimi auspicij: quandoquidem à cibo faciliùs concitentur, meridiana, quàm ieunis matutina. Stultissimum uerò existimare, quod à dexteris magis, quàm à sinistris prosint, cùm talia omnosa sint, & antiquæ superstitionis deliramenta: quandoquidem aliena, non nostra, & à naturalibus causis procedentia. Erunt igitur sortes quasi mediæ inter sternutamenta, & somnia. Mihi sanè uidetur Aristoteles plus illi autoritatis tribuisse, quàm par sit, tum plerunque fiat uapore à pulmonibus delato ad caput. Et maximè cùm ipse mentē in corde, nō in capite statuat. Certius

tius igitur signum est, cordis palpitatio, & mens præsaga mali (ut inquit poëta) quàm sternutamentum. Si igitur non omninò absq; causa adueniat, nec caput occupet, libereq; ædatur, nihil prorsus significat, imò naturale est symptoma. Similiter in somnijs non semper sequi ea necesse est, sed differri, cùm mens pura fuerit, corpus uerò humore onustum ac graue: talibus enim expedit abstinentia diuturna, & exquisita uti, non tamen irrita adueniunt somnia, sed non adueniunt: expedit autem noscere aduenientium, quænam sint diuina, quæ non, ut superiùs diximus. Turbulenta enim, imperfecta, non coniuncta, obliuiosa, mutabilia, sub initio noctis uel medio inania sunt: quippe uel à memoria rerum gestarum, uel animi impetu, uel à cibis, uel humoribus proueniunt. Dubitabit autem aliquis, an ad animæ puritatem requiratur iniuriarum remissio? atq; hic quidam critici rem ipsam, ad summam reuocant seueritatem. Verùm animus ipse perpendendus est, nam leues iniuriæ condonari omninò debent: magnæ quoq; quæ fortuitò acciderunt, aut ex prouocatione, uel errore, licet tamen exigere, quod ablatum est, aut famæ, aut pecuniarum: aliter, si neget, consultò & malitiosè fecisse uidetur: quod ubi constiterit, perseueraueritq;, iam licet odisse, ut improbum, ut iniustum, ut hostem humani generis, ut seruum Dei nequissimum, & peruicacem, semper autē hæc æquiore animo continēda: sed de his apertiùs in libris de Aeternitatis arcanis.

Oracula quot generum.

Nunc autē ad oracula transeundum, quæ duplicem habere, ut reliqua originem uidentur, bonorum atq; malorum: bonorum autem dæmonum, seu deorū ac spirituum, nec non afflatuum, nuper meminimus: malorū autem præstantissimum, Delphicū. Erat enim in Phocide, ubi Boœtia mons, Parnassus duobus cacuminibus se attollens, Thi-

toreæ

torea, & Hyampeo: in quorum alterius fastigio Nyso Baccho, in alterius Delphos Apolluni, in radice autem Cyrrha iuxta mare urbes sunt consecratæ: celeberrimum hoc, sed clarum responsis, quod Delo una ex Cycladibus insulis redebatur. Multis autem in locis per somnum responsa redadebantur, ut in Amphiarai templo, & in Serapis apud Canopum, & in Aesculapij apud Pergamum, & in phano Pasiphaés: in Ardali ara, & in Narbaca apud Hircanos, & Isidis Aegyptiorum, & Melopide, in Bubasto. Atque hæc partim natura, partim dæmonio, alia afflatu, uel animæ coniunctione, ut quisque Deos uenerabatur puriore mente, licet deciperetur, seruos pro domino honorans: plurima autem sacerdotum dolis conficta: nobis quidem hæc haud necessaria, sed potiùs illud querendum, quo nam pacto haberi possint. Eadem uerò ratio, quæ in alijs sacrificio purgatæ mentis Deum uenerando. Sed noli plus quærere, quàm licet. Cætera plena doloris, periculi, mendacij, superstitionis, cultusque idolorum, fœda, tristia, atque prophana, uanitatisque gentilium argumentum euidens.

Oracula quomodo fiant.

Verùm naturalia, cibis, potibus, antris, aquis, suffitibus, morbis, lapidibus stellarumque ac uisionum obseruatione constant: quæ si citra cultum dæmonum ac superstitionem fiant, utilia sunt. Cibis, si quis ab omni animante abstineat: potibus, si à uino ac lacte: antris, propter halitum terræ: aquis spontè nascentibus, quæ experimento dignoscuntur, quales etiam circa Trophonium antrum, & Helicona olim: suffitibus, maximè thuris: morbis, qui cum atra bile conueniunt (uulgus dæmonas esse censet, cùm satis manifesta sit malorum causa: alij à Deo hæc fieri censent, cùm Deus non morbos, sed sanitatem afferat: sed forsan

aliquid

aliquid est in his, quò anima uelut in somnis, à terreo uinculo liberatur) lapidibus, de quibus tum etiam stellarum obseruatione dicemus. Nihil autem tantum potest, quantum uisiones, & quæ phænomena Græci uocant. Quibusdam enim cometis fulgentibus multi consurgunt uates, quorum causa suo loco docebitur.

PRÆSAGIA TEMPESTATVM. CAP. LXXXVIII.

PRÆSAGIA tempestatum, non tantùm iucunda sunt scitu, sed uehementer utilia: non tantùm autem ad agrorũ cultum, uerùm & ad plurima obeunda negocia: quo fit, ut plurimi clari auctores, & disertè, & luculenter scripserint de his, nihil prætermittentes, quòd ad eam præcognitionem pertinere putarent. Quod uerò non exactè præsagiendi formam inuenerint, id causæ esse reor: quoniam quemadmodum ijdem uenti, his serenitatem, illis pluuias promittunt, ob locorum situm ac rationem: ita & reliqua signa non eadem omnibus sunt: differunt etenim loco, quoniam quædam admodum borealia sunt, alia autem admodum australia, quædam autem temperata, quædam etiam sunt mari aut lacubus propinqua, alia autem plurimùm absunt: quædam etiam in planitie posita, alia in montibus, alia in uallibus: eorum autem quæ iuxta montes sunt quædã ab ortu, quædam ab occasu, quædam à borea, quædam ab austro montes positos habent. Montium etiam diuersitas ex altitudine, & niuium frequentia non parua est. Quædam etiam loca pluribus montibus sepiuntur: quædã mari circumdantur, ut insulæ. Verũ nobis generalia quædã signa status temporũ tantũ referre libet.

quæ

quæ tamen si optimè accommodabuntur, uniuersis prodeunt. Dicta sunt autem alia alibi.

Obseruatum est igitur, quòd si splendente sole tegulæ guttas ad impluuia per uices dimiserint, tanquam pluuia iam paruo temporis spatio præcessisset, imbres promittunt, nõ iam ambiguo uel fallaci signo, quod & ego obseruaui. Pluuiæ futuræ signa.

Porrò uentorum ratio in aëris constitutione principalissima est. Sed (ut dixi) regiones obseruare expedit: à mari namq; prodeunt humidi, & ab austro calidi: à montium faucibus & borea, frigidi. Eo fit, ut orientales quibusdam sicci, quibusdam humidi, ut nobis. Mare enim nobis orientale est.

Nubium quoque formam inspicere decet, nam humiles citò pluuiam casuram nuntiant, tardè sublimes, magnam & diuturnã densæ, paucam & breuem raræ: tenuem quoq; & diuturnam, quæ admodum densæ sunt, sed altius positæ iam cadere incipiunt.

Hominibus quoq; quædam talia contingunt, uelut capitis grauedo aut dolor membrorum, & palmæ manus siccitas & sternutationes.

Cùm faces & fulgura plurimum micant in nocte, qua parte splendent, eadem uentos expectato: si autem ab utraque parte aduersi micant, ab utraq; uentos expectato.

Cùm sol tanquam ex speculis relucet undique, tunc uenti, & imbres, & fulgura, & grando etiam timenda erunt: est autem hoc quoniam nimis splendet, & radijs refulget, ob aëris nimiam crassitiem: uel quoniam loca in quæ inciduit humore aëris madida, tanquam leuia & polita radium reddunt.

Ex signis autem inferioribus est primùm maris sonitus, & fluctus, & mugitus in cauernis promontoriorum,

& littoris resonantia, hæc enim uentos indicant, & persæpe tempestates.

Ex piscibus autem delphinus ludit, modò caput abdēs, prosiliens modò, & polypus saxis hæret, echinus abscondi-tur, ut uenturam fugiat tempestatem. Atq; ex hac obseruatione quidam ditatus est.

Ventorum signa.

Ventorum autem quæ ex terra colliguntur signa, & pelago sunt montium & syluarum stridor, & mugitus quidam: nam hæc signa uentos pollicentur.

Ex animantib. ericius duo ostia foueæ suæ facit: quì sperat uētos futuros, cōcludit: si autē cōtrarij erūt, ambo obducit: uidetur etenim hoc animal flatus maximè ptimescere.

Tempestatis signa.

Ex uarijs accidentibus, uelut cùm flocci aquis supernatāt, aut carbonibus cinis leuiusculus hæret: odoris flagrantia in floribus, apum reditus ad aluearia, uel latitatio sub arboribus: uel quòd non procul à sede auolant: bufonum uermium q; è terra ascensus, pluuiam nuntiant. Atlantidum occasum, & Pleiadum ortum, quidam obseruare iubent: nam illæ uesperi occidentes, noctis qualitatem: hæ matutino orientes, diei nuntiant.

Qualitatis temporum anni signa.

Crabrones si ante occiduas atlantides apparuerint, longam notant hyemem & futuram etiam pluuiam. Anas si ad finem hyemis pectore rubet, adhuc hyems producetur: si candida est, finis frigoris instat, & uer proximum est. Partus uaccarum frequentes, aut earum mors, pluuias sequente hyeme nuntiat.

Calidæ æstatis indicia.

Gelu signa.

Arietes uerò & oues antiquæ, cùm ad uenerem in uere promptius mouēntur, subsequentē æstatē declarant calidiorem. Quòd si hyeme res quæ madidæ esse solent, sicciores uideantur, aut guttæ ex tectis manantes lentius cadunt, ac quasi hærent, grauioris hyemis & gelu indicia sunt.

Referunt

Referunt obseruatum, uigesimamsextam lunam si serena fuerit, subsequi imbrẽ, aut nebulas: si nubilosa & turbulenta, serenitatẽ: quod tamen semper uerũ esse haud credo. Lunæ præsagiũ mirum.

Quamuis multa de his tum alibi, tum hîc dicta sint, illud tamen etiam adijciendũ existimo, maximi frigoris præsagium esse in regionibus borealibus, Sol condens se in nube rubente, ut ignis colũna, & eiaculãs radios uelut igneos conos ac cuspides, inde Sole descendente in atrum nubes uertitur. Atq; hæc non generaliter, sed ubi regio natura frigidissima est. Sol enim his nubibus obruitur. Frigus enim, caloris priuatio est. In frigidissima autem regione & hyemi tempore, non fit impressio. Frigoris maximi signa.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. *Liber* XVI.

De rebus præter naturam admirandis.

SIGILLA.

CAP. LXXXIX.

TRVM *sigilla uim aliquã habeãt, iure meritò dubitatum est: nam figura ad primas qualitates non attinet, nec inter agentia numerari meretur. Cumq; in re mortua fiat, nõ uidetur aliquid posse: ostensum enim est, uiuentium solùm operationes & opera esse. Præterea cùm artificiosa*